



**Joannis Novillei Jovisvilli, Artium, Legumq[ue] professoris  
Hora. : Hac aut?[m] Hora æger & irrequietus Animus sanitati,  
paci, & quieti restituitur.**

<https://hdl.handle.net/1874/420901>

The image shows the front cover of an antique book. The cover is decorated with a traditional marbled paper pattern, often referred to as a 'stone' or 'shell' pattern. This pattern consists of repeating, vertically oriented, teardrop or scalloped shapes. Each shape is filled with a vibrant red color, and the spaces between these shapes are filled with a mix of blue and yellow, creating a complex, multi-colored effect. The overall appearance is dense and textured. In the bottom-left corner, there is a small, light-colored, oval-shaped paper label with handwritten text in black ink. The text on the label is partially obscured but clearly shows 'et.' on the first line and '3.' on the second line. The book's spine is visible on the left edge, showing some wear and the binding structure.

et.  
3.

**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board















X  
1

X. oct.

175<sup>3</sup>.







IOANNIS  
 NOVILLI IOVIS-  
 uilli, Artium, Legumq̄  
 professoris Hora.

Hac autē Hora æger & irrequietus  
 Animus sanitati, paci, &  
 quieti restituitur.



PARISIIS

Excudebat Christianus Wechelus, sub scuto  
 Basiliensi, in uico Iacobæo, anno

1531

*Horatius in Epistolis.*

Plus fati valet Hora benigni,  
Quàm si te Veneris commendet epi-  
stola Marti.

Ad lectorem.

Quod nec longa dies, reuolutaq; se-  
cla dedere,  
Hoc breuis ægotis mētibus Ho-  
ra dabit.

3  
ILLVSTRISSIMO

*Generosissimoq; principi Io. à Lotharingia*

*S. R. E. Cardinali dignissimo Io.*

*Nouilleus Iouisuillus S.*

**V**ix Aurelios fines attigerat serenissima Galliarum regina Leonora, Antistitum nobilissime, quum Lodoicus Canturellius, Matisconensis gregis pastor vigilantissimus, christianissimi Galliarum Regis FRANCISCI Auricularius, blãdo sermone me cõpellaret hortareturq; vt reuocatis ab exilio musis, quid quod ad principum, meorumq; mecenatum laudes faceret expromerem. Multũ me tanti viri mellea mouerunt hortamina, set multo magis animum accedit diligentissimi Tullorum pastoris Hectoris Dally, id est, literatorum fautoris Lotharingæq;

A ii ringæq;



## 4 IO. NOVILLES

ringæq; reipublicæ tutoris puidiffi-  
 mi frequens memoria . Veniebāt si-  
 quidem in animū larga quæ in me  
 contulerat beneficia, humanissimiq;  
 quibus nos ad virtutē induxerat mo-  
 nitus. His itaq; p̄suasus, operi accin-  
 gor, idq; factum curo quod fortasse  
 infectum vellem . Placuit ergo pri-  
 mum, nunquam antehac tentatas,  
 imò neq; cognitās Gallicæ linguæ  
 musas poësimq; vernaculā excitare:  
 Nec mora, properè exequitur nego-  
 cium, canūtur magnanimi Gallia-  
 rū regis Frācis̄ci suæq; Leonoræ, ip-  
 sorū quoq; Heroum et Heroidū om-  
 nium encomia : gratulamur reduci  
 paci, gratulamur ictis principū fœ-  
 deribus: gratulamur deniq; læto to-  
 tius Galliæ prouētui. Set dū hęc ago  
 venis in mentē, vnicū patriæ decus,  
 sicq;

IO. CARD. LOTHAR. 5

ficq; animum crebra virtutum tuarum recordatione euerberas & quodam mihi meapte natura infito amore accedis, vt mihi temperare non potuerim quin grunniētibus Panormitano & Imolis, rudentibusq; Bartholo, Paulo, Angelis, & Alexandris, qui iam coeptum istud erāt subodorati, Horā isthanc suffurarer, mox furtum apud te qui id genus furtorum fidus receptator haberi, securus deponerē. Excipe ergo serena frō te Horam hāc vnā, omnium vir horarum, quod vbi feceris, perpende tecum non quid ego, sed quid Hora vna, imō & quouis pusillo temporis momento possit rerum omnium figulus Deus, qui aegrotos languentesq; animos Horę vnus p̄speræ, id est, Galliarū reginę Leonoræ & soni

A iiii tu

tu & aduentu, in sanitatem, pacem  
& quietem asseruerit. At si rudis hu-  
ius Horæ sonus, beneuolis auribus  
minus argutè insonuerit, tui Nouil-  
lei, id est, temerarii, audacissimiq̃  
adulescentis effrenem cohibeto au-  
daciam, quòdq̃ & suo, & suorū ho-  
nori male consuluerit, condignis pœ-  
nis affligito. Sed tu interea, Vale  
Præfulum nobilissime.

*Horæ huius partes.*

**H**Aec Hora partibus cōstat duo-  
decim, quæ suis pūctis, locis, &  
versibus distinguntur. Harū tamen  
vt lucidior habeatur notio, qui fe-  
riatim sequuntur articuli in earun-  
dem, totiusq̃ operis argumētū sunt  
prænotandi.

*Horæ pars prima.*

Aeger & irrequietus Animus pel-  
lici Carni et lenonibus Appetitibus  
plus

HORAE ARGVME. 7

plus æquo audiēs, coniugē Rationē famulæ cogit ancillari. Conqueritur interim Ratio, dumq̃ errantem reuocat Animū, ac eidē digna indignaq̃ vociferanti insultat, assidua corruptæ Carnis in spiritū certamina, dubiūq̃ inter Animum rebelles sensus, & scelerum omnium inuentorem Fomitē, conflictus referuntur. In eam tādē itur sententiam, Animum non posse præsentissimis obsistere hostibus, ni præstitis astutisq̃ Dei leuetur auxilio. Quid demū? Libertas Animi asseritur, Virtus laudatur, Voluptas male audit, suaq̃ detegi videt opprobria.

*Horæ pars secunda.*

Perstāti sua in hæresi Animo, differenteis brutorum & hominum naturas, distinctas officiorum omniū

A iii per



per sua genera & species definitiones, omnem deniq; naturalis honesti & decori vim aperit Ratio: mox quid homo, & ad quid natus sit, latissime differit.

*Horæ pars tertia.*

Subiūgit itidem duas Animi vires & naturas, quibus ritè cognitis, omnis officiorum viciorumq; elucescit definitio. Flectitur, paululūq; emollitur Animus, ac statim vnum, summū, verum & indiuiduū bonū esse intelligit, quo solo & attrahitur & perficitur, beaturq; quiuis boni hominis animus.

*Horæ pars quarta.*

Probatur subinde res quælibet suapte natura bonum appetere: bonorum esse præcellentissimum quod ab immortalibus appetitur formis. Hinc quæ summi adeptione boni sit  
 prouentura



## ARGVMENTVM 9

prouentura animis & beatitudo, & potētia, et claritas, paucis subtextitur.

*Horæ pars quinta.*

Summo huic bono, oīa ad se trahenti non obedire homines, sed reniti, cōtendit Animus, idq̃ mystagogorum plebeiorum, ipsorum quoq̃ aulicorum improbis probat moribus, quos omnes innumeris viciorū pestibus vsq̃ adeo infectos asserit, vt vix vnū reperias qui bono adhærescēs, vicia p̃cul eliminēt. Quid plura? His ille p̃suasus, sine rectore vacillare omnia, meliorem improborum, quàm contemptorum innocentum conditionem, pessimè existimat.

*Horæ pars sexta.*

Repetitis naturæ principiis, errātem Animū reuocat & cōfutat Ratio: mox certissimis rationibus, nedum

dum impotentes & miseros, improborum animos, sed & mortuos demonstrat.

*Horæ pars septima.*

Post hoc, diuitias, dignitates, gloriam, illamq; sublimem regum maiestatem, metuendam potentiam, nec efficere, nec præstare id summum quod quærimus bonum, ratione, & exemplis comprobat.

*Horæ pars octaua.*

Ast vbi alias morbi sui causas detexit Animus, tollit Ratio veterem quandam super seruo hominis arbitrio hæresim, nec minus ipsum Animum plenam in libertatem asserit. Hinc obscuras vasorū iræ & honoris diuinæq; prædestinationis quæstiones, sigillatim tangit & diluit.

*Horæ pars nona.*

Postremò quid sit immutabilis,  
Dei

ARGUMENTVM. II

Dei Prouidentia, & quomodo in his inferioribus operetur, & an ab æterno præuisis (quæ futuræ sunt) hominum actionibus necessitatem adferat, clarissimè discutitur.

*Horæ pars decima.*

His dilutis, paululum conualescēs Animus, loquentē lætus audit Prouidentia. Arguitur ab humana Ratione, id est, Dei Prouidentia, humana Ratio, quòd inuestigabilem Dei sensū, archanasq; diuinę prædestinationis ac præscientiæ rationes noscere affectarit. Sed ubi ad viam reuersum cernit Animum fœlix illa Prouidentia, eundem læta deosculatur, ipsi quoq; horam prosperam pacis, & securitatis ductricem à suo fato iubet expromi. Nec mora, fœliciter Hora insonat: hinc sua & pace & cōscientiæ

12 HORAE ARGVME.

sciētiae securitate Animum refouet,  
nouisq; gaudiis afficit.

*Horæ pars undecima.*

Diuina tandem Prouidentia, di-  
fcit Animus quæ bonos præmia, quæ  
ve malos sequantur supplicia: mox  
eadem latius dicente, suæ virtutem  
Horæ experitur, quã serenissimæ Frã  
corum Reginæ videt cõparari, quòd  
hæc fœlix domina dubios languen-  
teisq; Gallorum animos, paci, secu-  
ritati, & quieti restituerit: quòd pro  
labore requiem, pro mœrore, gaudiũ  
Hora nobis vna pepererit.

*Horæ pars duodecima.*

His properè exactis, in cœlum re-  
uolat Prouidentia: his inferioribus  
rebus annexũ remanet fatũ. Grates  
interim pro acceptis beneficiis Deo  
persoluit Animus, ac mox sanus et  
getus cũ Ratiõe suauiter obdormit.

Ioannis



# IOANNIS NOVILLEI Hora.

*Aeger & irrequietus Animus queritur.*



VANDO MI-  
hi requies, in som-  
ni quādo labore  
Exacto, queruli me-  
ta doloris erit?  
Num fatis vltlices

torserunt pectora curæ,  
Membrāq; sollicito contremuere  
metu?  
Quò me dira rapit victa Ratione  
Libido?  
Et dubium in præceps inuius er-  
ror agit?  
Heu, me tristis agit morbus, me de-  
uia mentis.

Libertas



Libertas, scelerum sub iuga  
 fœua trahit.

Humida currenteis deducunt lumi-  
 na fluctus,

Nec mihi luce quies, nec mihi no-  
 cte sopor.

Quid faciam ignoro, nunc hac, nunc  
 abstrahor illac,

Impetus & quò me præripit ipse  
 sequor

Quãdo mihi requies? insomni quã-  
 do labore

Exacto, queruli meta doloris erit?

Hæc dũ quereretur Animus, ecce  
 furētē magis atq; magis accēdebāt,  
 variumq; in multas partes scinde-  
 bāt leues quidã Appetitus, nec prius  
 missum fecere, quàm eò dementiæ,  
 & erroris deiectus fuisset, vt tandem  
 obfuso

obfuso tenebris ingenio benefuadā  
 Rationē faceret nihili. Huic nephario facinori non imaginatio, non sensuum quispiam renixus est, sed illi ipsi (ò pecuinos hominum sensus) vel ignorantiae obducti caligine, vel *His tribus modis à reā eto cadit Animus.* humanæ fragilitatis remissiores impotentia, vel (quod multo magis dolendum fuit) sua ipsorum libidine victi, se viciorum iugo submiserūt. Pellit ergo et exulat fidelis illa Animi cōiunx Ratio, ac in locum exulis dominantur immūdi carnis lænones Appetitus, nec longius abest ipsa pellex insignis, Caro, quæ facile suapte natura Animū suis blanditiis meretriciisq; illecebris tantisper emollire non cessauit, donec is suæ Rationis thorū aspernatus, ancillā dominæ, seruam liberę præponeret.

Obstitit

Obstitit, vt potuit Ratio, plus tamen  
 valuit impudica illa meretrix, quòd  
 quotidiano lasciuientes sensus de-  
 mereretur obsequio, quòd humanæ  
 adblandiēs naturæ, imbecillioribus  
 nostræ fragilitatis actionibus arri-  
 deret. Discedēs itaq; Ratio sic de lā-  
 guētis & dubii Animi perturbatio-  
 ne conquesta est:

Quis dabit viduæ mihi  
 Aquam? quis oculis meis  
 Immensum pelagus feret  
 Exul vt fleam  
 Languens vt querar  
 Fatum miseri coniugis?  
 Quis mecum feros impetus  
 Et motus queretur leues?  
 Heu mœrens vagor  
 Heu tristis queror.  
 Parentibus

*Tristis  
 Rationis  
 monodia.*

PARS PRIMA.

17

Parentibus quondam dabam

Sanctos monitus sensibus

In celfo potens folio,

Sed verfa omnia,

Mutata omnia:

Blanda coniugem mollibus

Trahit delitiis Caro,

Sensusq; meos decipit.

Flere me decet,

Flere me iuuat.

Quis dabit viduæ mihi

Aquam? quis oculis meis

Immenfum pelagus feret,

Exul vt fleam

Languens vt querar

Fatum miseri coniugis?

*In hoc primo actu introducuntur*

*Ratio & Animus.*

Hæc vbi lamentabili voce protu-

B lit

lit Ratio, dum errantem Animum  
 ad se reuocare contendit, sic tristis  
 incipit: Quò raperis, Anime mi?  
 Quò te trāsuersum ducunt Appeti-  
 tus? Redi ad viam, te is perditum.  
 Animus. Qui p̄ditū? Rat. Quòd bo-  
 ni summi securus, mala bona, serua  
 libera, turpia honesta, perperam iu-  
 dices: quòd falso sensuū iudicio plus  
 æquo credens, repudiata coniuge, cū  
 impudentissima fornice mœcheris.  
 Ah quid te nō pudet? Anim. Quid  
 puderet? Hoc ipsum qđ ago iubet  
 Natura, applaudūt Sensus, cogit Ca-  
 ro. Tu sola sapius obstas, sola mihi  
 obstrepis, sola reluctātem in virtutū  
 quarundam senticosos tramites tra-  
 his. Me missū face, me seducis. Rat.  
 Me miseram, te seduco? Insanis, neq̄  
 apud te es Anime. Tantūm ne tene-  
 brarum



P A R S P R I M A .

19

brarum in te est, vt vera monentem non intelligas, vt verè dicentem nō audias? Anim. Sed fieri qđ nequit, hortaris. Ratio. Qui fit vt quod dixerim, impossibile tibi videat? Anim. Quòd sim his sensibus immerſus quibus non poſſum non obſequi: quòd ſim in molli carnis gremio infuſus, cui nō poſſū nō adheſcere, et cū ea dē noctes & dies preſſiſſime cōmiſce-  
ri. Quis enī ardentiſſimo ſuppoſitus igni, nō vrit, & calet totus? Quis pi-  
cē tangit immūdā, & ab ea nō inquiritur? Rat. Vt te falſa tenet opinio?  
Quid enī? ſi tibi preſtitē aſtitēq; Deū habueris, nūquid nō poteris effrenos ſenſuū appetitus cōſtrigere, pruriētē Carnē cōpeſcere, domināq; Rationē amplecti? Deū immortalē, quid totus in voluptatibus es? Quid in his cal-

*Carnis uoluptatis pestes & incommoda.*

*Quomodo modis uarijs brutescant homines.*

lum situmq; obducis? Nescis, heu nescis, miseros homines, si sese ad has humanas pestes demiserint, pecudes scire? Heu quid momentanea Carnis voluptas affert, præter crassas mentis tenebras, virtutum contemptum, mortiferas morborum legiones, & utramq; si perpetuum cū hac obdormiueris, mortem? Hæc te, quū ab humana conditione deiectus fueris, ex homine brutum faciet. Nunc enim Lycaon in lupum, nunc Antæon in ceruum, nunc Nabugodonosor in bouem transformaberis, fietq; (quandoquidem humanā conditionem diuinæ præposueris) ut uerè terrenus pecuinusq; & sis & dicaris. Anim. Non planè intelligo quæ cumulas. Rat. Quid huiuscæ rei causæ est, nisi quòd in sole caliges, cimmeriisq;



PARS PRIMA.

21

meriisq; tenebris adhuc obuolutus,  
clarum Rationis lumen cernere ne-  
queas. Audi ergo quæ post salubre  
musicæ dulcedinis leuamen altius  
repetam. Anim. Audio, incipe.

*Ratio.*

Heu quàm tartareis tegit tenebris  
Mentem, agrestibus in facetiorem.

Quur tetrus Animus reclusus antris,  
Nescit perspicuis videre ocellis  
Verum? sed potius reflexus hæret  
Fluxis fordidulæ bonis harenæ?

Quur nūc læna furit, canisq; latrat?  
Quur defæuit aper, lupescit, atq;  
Horrendi faciem capit draconis?

Hoc fanè stygiis potens venenis  
Immundæ similis, truciq; Circæ,  
Fecit blanda Caro, suisq; philtris  
Sic potos animos iniqua vertit.

Proh, nōne est miserū, diis amicos,

B iii Et

Et summi effigies decusq; Regis  
Mortales, pecudum subire formas?

*Tum Animus,*

Perge iam mihi reliqua, vt cœ-  
pisti, detexere. Rat. Primum om-  
nium mihi concedas oportet, vnum  
esse rerum omnium repertorē Deū,  
Deum inquam, simplicissimæ sub-  
stantiæ, & eius quidem incompre-  
hensibilis, purissimum, absolutissimum,  
& (vt paucis dicam) ens entium, in  
quò & per quem viuunt omnia, mo-  
uētur oīa, reguntur oīa: qui totus in  
mūdo, mūdus autē in ipso esse dici-  
tur: cuius immutabilis ineuitabilisq;  
prouidentia, certa fati serie, singulis  
rebus, quas suauiter disponit, mo-  
tus, loca, formas, & tempora distri-  
buit: nec minus sua diuina ratione  
compositissimum atq; indeclinabi-  
lem

lem caussarum omnium, occidentiū  
 & renascentium, fœtuū, feminum,  
 actionum, fortunarumq; hominum  
 ordinem indissolubili connexionē  
 promit. Hæc ne fateris, Anime?  
 Anim. Fateor. Rat. Is vbi cœlū, terrā,  
 & quæ in eis viuūt animantia creaf-  
 set, vili terræ limo animaq; suæ haud  
 absimili naturæ protoplastum Adā  
 compegit. Mox eidem creata omnia  
 subiecit. Parebant imperanti fero-  
 cientes lænæ, parebant venenati re-  
 guli, cæteraq; omne genus anima-  
 lia. Nec solum parebant animata  
 quæq; sed & inanima rerum princi-  
 pia. Quid multa? dominus terræ  
 erat. Quid dico dominus terræ? imò  
 ipsius Dei familiaris amicus. Sed (ò  
 malum) quanquam in huius primi  
 patris animo nulli insurgerent Ap-

*Quis homin-  
 ni ante rui-  
 nā status.*

petitus, ipse tamen dum flexanimo  
 serpētis suafu, veri maliq̄ cognitio-  
 ne capitur, idq̄ fitit quod ī se habet,  
 vetitos fructus volens sciensq̄ come-  
 dit. Anim. Quid tandē? Rat. Abiit  
 ilico ea, quam originalem vocant,  
 Iustitia, quę vt erat inconcussæ quie-  
 tis & pacis sedula conciliatrix, re-  
 belles, & irrequietos sensus corru-  
 ptamq̄ & spiritui inimicam carnē  
 reliquit, & ecce subierunt domum  
 tuam illi tui leues Appetitus: quid di-  
 cam? irrupit in intima corporis pe-  
 netraliav iciorum inuentor Fomes,  
 qui te in putidam voluptatum car-  
 nificinam non cessat impingere, ac  
 me ipsā (quādoquidē retrahēti nō an-  
 nuis, sed volēs duceris) captiuat, tor-  
 quet, enecat. Anim. Vera narras, sed  
 nōdum vniciis. Rat. Propè est victo-  
 ria



ria si sequentibus non satisfeceris. Anim. Perge ergo. Rat. Ex hoc ergo malefuado Fomite, Sensuum, ipsiusq; corruptæ Carnis continua in promptum spiritum exoritur militia. Nec mora digladiatur vtrinq; pugnatur cominus & eminus, nunc vincit Caro, vincunt Appetitus, ac mox sibi obstetricatibus viciis, fornicatione, immunditia, impudicitia, luxuria, veneficiis, inimicitis, cõtentionibus, emulationibus, rixis, dissensionibus, sectis, inuidiis, homicidiis, ebrietatibus, comestatiõibus, & his similibus, te ita incessant, vt te ipso nihil abiectius, nihil ve pestilētius possit reperiri. At cū mecū sentis, meosq; mo nitus nō aspñaris, pace, patiētia, benignitate, bonitate, lōganimitate, māfuetudine, fide, modestia, cōtinentia, castitate,

*Astidua carnis in spiritum militia.*

*Hæc vicia & sequentes uirtutes enumerat Paulus ad Galat. 5.*

castitate, nedum ipsum Fomitē tēpe  
 ro, sed et recollecto in vires Animo,  
 paceq; ab exilio reuocata, totā cor-  
 poris domum sedo, seruos castigo,  
 ipsam quoq; rebellem dominæ, Car-  
 nem in seruitutē redigo. Anim. Vin-  
 ceris, Ratio, tuoq; ipsius telo confo-  
 deris. Rat. Qui? Anim. Meministi di-  
 ctorū? Rat. Quid non meminerim?  
 Anim. Bellū mihi cōtinuū, semp p̄g-  
 sētē legi meę inimicū, viciorūq; ducē  
 Fomitē, clipeatos, loricatosq; Appe-  
 titus, pellicis, vt refers, Carnis parasi-  
 tos, imò malorum omnium vexilla-  
 rios insolētissimè in nos tumultuari  
 asseris. Rat. Haud muto dictū. Ani.  
 Hoc si verum est (etenim id verum  
 fateris) quomodo reris posse me bel-  
 lum continuum perpeti, resistere in-  
 domito legis meæ inimico Fomiti,  
 prurientes

*Que sit  
 Animi in  
 domanda  
 carne rebel-  
 libusq; sen-  
 sibus diffi-  
 cultas.*



pruriētes luxuriātis carnis Appetitus  
 cohercere, sēsus meos omneis, quorū  
 nō possum nō vti cōmercio, afflicta  
 re, & vt suades, pene exanimes &  
 mortuos reddere? Hoc dum à me fa-  
 ctum postulas, quid aliud vis quàm  
 me mihi esse cōtrarium, & meæ ad-  
 uersum naturæ? Rat. Bona verba,  
 quęso. Potis es mihi, vt hoc te erro-  
 re excludam, quæ rogauero respon-  
 dere? Anim. Nihil facilius. Rat. Au-  
 diuisti, primū rerū hominūq; reper-  
 torē Deū, sua immutabili Prouidē-  
 tia caussas, ordines, formas, modūq;  
 gerūdis rebus annectere, oīa sursum  
 regere, deorsū cōtinere, extra circūda-  
 re, iterius verò penetrare? Anim. Au-  
 diui. Rat. Is, vt solus oīa facit totusq;  
 in oībus est, vbiq; totus audire, totus  
 videre, totus efficere, totus incedere  
 dicitur,

dicit. Anim. Abnegare istud nō pos-  
 sum. Rat. Rursus ex hoc negare nō  
 potes quin is oculatissimus cordiū  
 inspector, & medicus Deus, bonorū  
 omnium fons sit vberimus. Anim.  
 Quis hoc vel moriorum primus, in-  
 ficiabitur? Rat. Consequēs est vt cre-  
 das tuū in hoc & velle & nolle perfi-  
 ci. Anim. Istud haud vnquā diffite-  
 bor. Omnia enim in nobis opera-  
 tur is ex quo & per quem & in quo  
 sunt omnia. Sine quo nihil, id est, so-  
 lum illud quod operamur malum  
 perfici posse crediderim. Rat. Quid  
 ergo dubitas, quin eo assiste, meq;  
 & monente & iuante, nedum do-  
 mesticos istos hostes istumq; tuum  
 male suadum Fomitē possis euin-  
 cere, sed & reiectis & calcatis pecui-  
 nis voluptatibus, Deum viuere, so-  
 loq;

*Possibilis  
 Deo assiste =  
 te & præ-  
 stite Animi  
 in hostes  
 uictoria.*

loq̄ spiritu (etenim ad vitam Spiritu Solo spiri-  
 tus, ad mortē p̄perat Caro) ita eni- tu uiuēdū.  
 ti, vt vere Dei filius & esse & dici va-  
 leas? Viden quomodo, vt præfixa  
 præcepta capeſſas, cœlum tibi præ-  
 mium: ſi verò cōtempſeris, infernus  
 proponitur ſupplicium? Anim. Iſtud  
 ex dictis ſuboleo, tuam tamen men-  
 tem nōdum teneo. Rat. Vt peſſimē  
 hanc in hæreſim obduruiſti. Nihil  
 ne animum mouēt quæ loquimur?  
 Anim. Mouēt, ſed non perſuadent:  
 lapides enim loqueris mihi. Ratio.  
 Imò lapidē potius alloquor. Sed vis  
 me quæ reſtant apertius proloqui?  
 Anim. Volo, eloq̄re. Rat. Horū vnū,  
 ſi tua in herēſi perſtiteris, mihi aſſe-  
 ras oportet: Aut iſtam tuam cum  
 omni Dei præſcientia liberā volū-  
 tatem nihil ſtudioſi officii Deo etiā  
 aspirante

*In quæ incidant incōueniētia seruū penitus assērentes Arbitrium.* aspirante posse exequi, seruum penitus & irretitum hominis arbitrium, impossibilia legis præcepta, & ob id frustra impotenti tibi edicta: Aut vana principum & senatuū sacrosancta sancita, malis nequicquam impositas pœnas, bonisq; decreta præmia: nullum præterea virtutis et viciorum discrimen, sed æquam virtutis & viciū conditionem. Quorum alterū si concesseris, quid oberit quominus te vnā humani generis pestem arbitrer? Sed iam tibi æquior sum, quòd hac carnea corporis mole te vsque adeo grauatam, tuisq; ita motum affectionibus videam, vt nequeas veritatis lumen agnoscere.

*Rationis melodia;*

Quū seuā humidulo Iuno vaporī  
 lungitur, vt fluidos depluat imbres;  
 Quum



PARS PRIMA.

31

Qũ tetra in gremio nubila stringit,  
 Et mundo pluuias parturit vdas,  
 Tũc retrahit radios phœbus apollo;  
 Et sua luci uomis compta capillis  
 Occulit obscuræ tempora terre:  
 Sed quãdo nebulis feruidus obstat,  
 Et penetrat radiis viscera diuæ,  
 Producit variam nubibus Irim,  
 Ostenditq; sui signa decoris:  
 Sic summus nitidi rector olympi  
 Quum cernit grauibus pectora  
 culpis,  
 Et densis mentes voluier vmbriis,  
 Lucentis retrahit lumina vultus:  
 Verũ quũ nebulas pellere tendit,  
 Imprimis his variã mentibus Irim,  
 Vt signum propriũ mōstret amoris.  
 Sed mens, dũ placidã negligit Irim,  
 Errat continuis plena tenebris,  
 Aeternumq; nequit cernere solem.

Horæ

## HORAE PRÆ

*Secunda.*

**A**EC suauiter modula-  
 batur Ratio, quum non-  
 dum sibi restitutus Ani-  
 mus, sua in hēresi persta-  
 bat. Cui tandē multa voluenti, hęc,  
 Ratio, Quid vultum auertis, Ani-  
 me, frontēq; corrugata quædam ta-  
 citus demurmuras? Nihil ne tibi p-  
 suadent quæ prius cœcutiēti obieci-  
 mus? Anim. Nihil ita me deus amet.  
 Rat. Atqui negare, ex cōcessis quod  
 consequens est, non poteris, Ani. Id  
 libere fateor, sed quid in erroris in-  
 extricabilis labyrinthū me iniicis, &  
 eum quem prius solutum oportuit  
 cōpedibus & manicis imprudenter  
 irretis? Rat. Quid vis faciã? Anim.

Lene



Lene vulneri remediũ adhibe, acutiore & paulo grauiore medelã post hac adhibitura. Rat. Faciam quod tibi est collibitũ. Anim. Ab ipsiſ er- go naturæ principiis incipe. Mox quid, & ex quibus ſim, quibusue perficiar, ad quid venerim, & quid tãdẽ ero, edoce. Rat. Iam quod vis auſpicor. Audiſti (ni fallor) vnum primũ eſſe principium, à quo omnis rerum mutabiliumq; naturarum generatio per ſimiles foetuum & ſeminum progreſſus, mirabili conſeruetur influ- xu. Principium, inquam, per quod diſtincta locis elementa, quorũ qua- litatibus mortalia quæq; communi- cant, perpetuò temperantur, & in ſe inuicẽ ſymbolica alternatione nõ- nunquam tranſeunt. Anim. Audi- ui. Id principium dicebas Deum.

E

Rat.

Rat. Recte meministi . Est enim id principium Deus, qui in sua stabili permanēs simplicitate, huius orbicularis machinae clauus est & gubernaculum. Is est qui inferiora, tametsi variis constantia partibus ac sua-  
 ptè natura discordia, in vnā formam connexuit, mobilem nexum naturæ præfixit, singulasq; disponēs mutationum varietates, motus suis locis, temporibus, spaciis & qualitatibus congruos inseruit. Is, inquam, perfectissimum entiū omniū Deus, qui vbi cœlum, terrā, & bruta creaf-  
 set animantia, hominem duobus cōflauit, corpore & animo, quorum alterum terreum, fragile, immundum, & corruptibile : alterum rationale, incorporeum, mobile, citū, æternum, quod semper sui factoris naturam,

*Homo duobus cōflatus, terreo corruptibili et incorporeo immortalis.*

PARS SECVNDA. 35

naturam, cui quidem est consonū,  
 vt potest imitatur. Istud autē quod  
 & terreum & corruptibile diximus,  
 quia fragile, caducumq; Animi est  
 vasculum, sic spiritum, boni summi  
 desiderio accensum deprimat, & ad  
 corruptibiles carnis raptat passio-  
 nes, vt, nisi Deo & ratione nitatur,  
 viciorum cassibus sæpe inuoluatur,  
 polluatur, confundatur, diramq; af-  
 fectuum patiatur tyrannidem. At  
 si stabili mētis cōstantia, Carnis, cor-  
 ruptorumq; sensuū Circaea respue-  
 rit pharmaca, ac solo spiritu quasi  
 extra carnem positus, in suum fera-  
 tur factorem, eundem fide & vera  
 charitate diligat, colat, admiretur,  
 pertinget tandem illud ipsum quod  
 sitit bonum, cuius adeptione beatus,  
 imò & Deus in Deo verissime cense

bitur. Anim. O mirabile Animorū  
premiū. Rat. Sed ad incepta redeo.

*Quæ homi  
ni insine  
natura.*

Est ergo homo rationale animal,  
brutis carne, spiritu Deo communi-  
cans, cui à natura insitum est se  
suosq; amare & fouere, nec id solum  
hominibus est commune, sed etiam  
brutis animantibus, quæ suis in re-  
ceptaculis & cauernis, ea congerunt,  
quæ & sibi & suis profint ad salutē,  
& vitam. Verum homo, cuius lōgè  
altior natura, rerum ordinem, caus-  
fas, & progressus ratione cernens, an  
tecessionibus quibusdam cognitis,  
& similitudinibus comparatis, con-  
sequentia præuidet & præsentibus

*Homo suo-  
pte ingenio  
ueri cogni-  
tione capi-  
tur.*

adiungit. Adde quòd is veri cogni-  
tione semper capitur, nec minore vi-  
dendi, & audiendi delectatione rap-  
tus, vel discēdo alitur, vel cogitan-  
do



do aliquid inquirat, aut agit quò possit prudenter & consideratè sua exequi officia. Quid plura? Hoc pusillū animal cauere scit, ne quid fortè indecorè vel effœminatè faciat, nihil ve in dictis vel factis libidinosè molliatur. Anim. Isthæc tua verba me vehementer oblectant. En agedum cætera diligentius exprome. Rat. Ergo hominis naturæ insitum est verū simplex, & syncerum, cuius miro effectu honestum illud naturale emanat, quo præcipuè ab ipsis distingui mur brutis, quæ suo optè ingenio solas corporis sentiunt voluptates, ad easq; toto feruntur impetu, quò fit vt nunquam consequentibus, sed solū præsentibus quantum sensu mouentur se accommodet. Anim. Sed de tege in quo id, quod refers, honestum

reponatur. Rat. In veri prospicientia & sollertia, in qua qui magis excellit, maximè naturam cōseruat humanam : qui autem deficit, id est, qui labitur, qui errat, qui nescit, qui decipitur, ab eadem longius remouetur: in ea demum eminet iustitia, quæ hominū societates tuetur, redditq; vnicuiq; quod suum est, cuius fundamentum stabiliunt dictorum, conuentorumq; fides & constantia. Repostum deniq; dicitur in excelsa, inuictaq; Animi magnitudine & robore: aut in modestia & temperantia, in quibus à plerisque relucere dicitur. Anim. Sed quid, si contra naturā quis ab eo recedat honesto? Rat. Peius equidē operabit̄ q̄ mors, q̄ paupertas, q̄ dolor, q̄ cætera q̄ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis.

Anim.



Anim. An ne est quod huic aduer-  
 setur? Rat. Id omne quod inhoneste, *Quae sint*  
 turpiterq; geritur, & quod constan- *honesto de-*  
 tia, moderationis, temperantiae, & *coroq; con-*  
 verecundiae fines exilit: in his nanq; *traria.*  
 virtutibus vis decori iacet, & has no-  
 bis imposuit natura, magna cum ex-  
 cellentia & praestantia animalium  
 caeterorum, voluitq; vt his adnixa,  
 ad suam ipsius & conuenientiam &  
 conseruationem duceremur, illudq;  
 sequeremur, quod in se acutum &  
 perspicax dicitur, estq; ad hominũ  
 societatem accommodatissimum.  
 Et fanè nihil in nobis auidius por-  
 tendit natura, quàm vt debito ordi-  
 ne, constãtia, & moderatione dicto-  
 rum aut factorum omnium, sic nos  
 aduersus Deum & homines gera-  
 mus, vt nunquam decorum illud, na-  
 turalisq;

turalisq; bonitatis altricem honesta-  
 tem omittamus. Si ducem ergo na-  
 turam insequi voluerimus, humanae  
 societatis conuersationem conserua-  
 bimus: Pro qua profecto omneis no-  
 stras utilitates in medium afferre de-  
 bemus, omnibusq; nostris artibus,  
 operis, & facultatibus animos homi-  
 nū deuincire. Quis enim nescit nos  
 non solum nobis natos sed homini-  
 bus, eandemq; esse debere vniuscui-  
 usq; utilitatem & singulorū? Quid  
 ergo aut pestilētius aut magis naturę  
 aduersum, quàm quid commodi tui  
 caussa alicui detrahere? quàm homi-  
 nem quouis modo opprimere & ca-  
 lumniari? Si lege vna naturę conti-  
 neamur, num legem violamus & na-  
 turam quum quempiam offendi-  
 mus, quum fraudibus, dolo & malis  
 artibus

Homo non  
 sibi natus  
 sed homini-  
 bus.

PARS SECVNDA. 41

artibus hominem circumuenimus,  
 quum, vt verbo vno dicam, non ho-  
 mines hominibus, sed lupi voraces  
 sumus. Me miseram, dum hæc lo-  
 quor, venit in mentem procliue ho-  
 minis ad quoduis nephas ingeniũ.  
 Itaq; mihi tēperare nequeo, quin se-  
 cretas Animi ægritudines mecum  
 decoquam.

O fœlix hominum genus  
 Si sedes repetat Deũ,  
 Honestiq; colat decus,  
 Mentis turpibus eximens.

Hoc naturæ parens iubet,  
 Hoc vult arbiter omnium,  
 Noscens abdita pectoris,  
 Sed nummi veniens fames,  
 Ac auri fitis improba,  
 (Ah dirum) rabidos lupos  
 Prædones

Prædones homines facit.

Tunc mens cuncta ruentibus

Culpis fœdera destruit.

*Auaria si* Hinc omnem tacitis fidem

*dē integritate* A se fraudibus abiicit,

*etq; omnem* Naturęq; suæ sacras

*diluit.* Promissi immemor ætheris,

Leges turpiter improbat.

## HORAE PARS

### TERTIA.



Abes ergo (Anime) eorū  
quæ tantopere desideras  
partē bonam. Ani. Cæte  
ra (precor) nobis excute.

Iis equidem tuis institutionibus, vi-  
uendiq; formulis vires meas sentio  
refurgere, impetus remitti, carnem  
silere, suosque cohiberi stimulos.

Rat.



PARS TERTIA. 43

Rat. Gaudeo quòd videam hoc primum medicamen ægrotanti tibi profuisse. Audi ergo cætera quæ diligentius prosequor. Teneſ quæ tibi de corporis & Animi naturis affatim depròpſimus? Anim. Teneo.

Rat. Adde vltèrius duas Animi vires, & naturas, quas ſi tenaci memoriæ commendaueris, liquidior erit tibi omnis officii honeſtiq; definitio.

Eſt autem prima in appetitu ſita, quam Græci *ὁρμη* dicunt. Ea eſt, Animæ, quæ te poſthabito Rationis tuæ conſilio, ad immundas Carnis voluptates, ad motus tuarum affectionum igniculis, inducit. Ea, inquã, eſt, quæ te in profundum ſclerũ mare præcipitat, omnemq; tibi verecundiam, & moderationem adimit. Altera eſt in tua ratione ſita, quæ te, vt nunc fa-

*Due præcipue Animi vires et nature.*

*Anime prima vis et natura.*

*Rationis munus et natura.*

cit,



cit, docet sedulò quid facere, quidue fugere debeas. Sed ita natura comparatum est, vt Appetitus mihi obtemperent, meq; neque præcurrant, neq; propter pigritiam, aut ignauia, deferant, sed pacati, tranquilliq; obediãt, nullã secũ admittẽtes perturbationem. Ego autẽ præesse debeo cũ  
*Hæc tãgit Cic. lib. off. primo.* omni constantia, & moderatione, debeoq; in horas conari, vt procul à familia omnis & temeritas & negligẽtia explodatur. Sed, ò malum, isti petulantes Appetitus sæpe euagantur, & tum fugiendo tum cupiẽdo sic se à me distrahunt, vt nequeã eosdem continere. Me miseram, cui non parent serui mei Appetitus, sed certos rerum fines & modos transeunt, sicq; Animum admissis perturbationibus interturbant, vt videas

deas aliquando corporis vultus, voces, motum & statum immutari. Heu, nō te pudet, Anime, seruis obsequi, cōiugem aspernari, pellici adhærere, & vnum cum eadem corpus effici? Vis me audire? Vis sanus ad viam redire? Appetitus istos mecū excita, sedita, corrige, & quod præter cætera magis studere debes, ne quid præcipitanter, fortuito, aut negligenter feceris, caue, sed modum omnibus addens, mecum vt virum addecet, viue, me audi, meq; cōiugali amore prosequere.

Quur me diuini spernit securus  
amoris

Infontemq; fugit moriens homo?

Quur Animum pellex fallaci sub-  
dola fucō.

Conqueritur se relictam con-temptamq;  
Ratio.

Allicit

Allicit, & viciis fœdat Caro?  
 Quir mihi reginę toruo imperat ore  
 tyrannus,  
 Quidue nocēt miseræ sensus mihi?  
 Me sine bruta homines terram cul-  
 tura fuissent,  
 Me sine pauisset glandes homo.  
 Ergo quir spernor virtutū ianua,  
 honesti  
 Altrix, ac operis mater boni?  
 Quir dominæ duris non paret vin-  
 cta capistris  
 Cum leuibus famulis pellex Caro?  
 O cœcas Animi tenebras, pectusq̃  
 malignum  
 Quid summi donum refugis Dei?  
 Quir promissa sacri postponis præ-  
 mia cœli,  
 Ac blandum potius præfers ma-  
 lum?

Hæc

PARS TERTIA. 47

Hæc viua voce protulerat Ratio,  
 quum Animus sui sceleris pertæsus,  
 à carnifice conscientie stimulo vapu-  
 lare occæpit, qui tandem in hæc ver-  
 ba prorupit, Mea vera coniūx, mea  
 sola & vnica voluptas Ratio, redi in  
 gratiam Animi tui, quem cerussata  
 meretrix Caro sibi supparasitibus  
 elusit Appetitibus. Parce igni tuo  
 ignis meus, phœnix mea, meumq̃  
 mel merum. Exhilara, sana, suæq̃  
 redde quieti cōiugem tuum languid-  
 um, et deiectis ignorantie velis, de-  
 liram ad virtutes libertatem reuoca.  
 Rat. Gaudeo quòd tandem veri lu-  
 men agnoscere cœperis, læta volēsq̃  
 ad te redeo, ea tamen lege atq̃ omi-  
 ne quòd seruos tuos Appetitus ca-  
 pistrabis, sociasque meas virtutes,  
 moderationem, constantiam, li-  
 beralitatem,

beralitatem, bonitatem plurimi facies, & sedulo reuereberis. Hæ profecto, dum voles, velle autem debebis quandiu viues, haud paruum apud homines gloriam, & apud Deum immortalem nūquam interiturum præmium procurabunt. Anim. Faciam quod vis, solum impera, obsequar. Rat. At ego pro istis tuis dictis ex immenso Philosophiæ thesauro promam quæ ad tuam faciât valetudinem: quinetiam te, vbi iis errorum pedicis expeditus, iisq; viciorum sordibus fueris perpurgatus, sub istam Horam sanum reddā & quietū. Anim. Perge ergo. Rat. Satisne differentes hominis naturas, omnisq; officii & decori distinctas per suas species & genera definitiones, nosti? Anim. Noui plus satis. Rat.



PARS TERTIA 49

Rat. Potis es mihi, quid sit homo, ex quibus cōstet, et ad quid sit deducere?

Anim. Possū. Rat. At vt pleni⁹ ad quid homo sit, & quibus pficiatur intelligas, cetera que mox sumi dictura p̄cipito. Anim. Eloquere, mea Ratio,

Rat. Scis (ut reor) bonū id esse, quod oīa appetunt. Anim. Sciui ex philo

*Bonum est  
quod omnia  
appetunt.*

sopho. Rat. Bonū ergo appetunt animata, inanimataq; oīa. Ani. Ita est, sed vnus me male habet scrupulus.

Rat. Qui? Ani. Quod dubitē eos bonū appetere, qui Epicurū, aut Sardanapalū viuunt, & quoniā in mentem veniunt nostri Hæresiarchæ, appetūt ne bonum ii spurcissimi v̄tres, fidei Christianę & cuiusuis honestatis opugnatores perditissimi? Rat. Appetūt. Anim. Istud vix vnquā mihi persuadebis. Sed appetunt ne bonū, qui

D popu

populi nō modo opes, verū & ipsum sanguinem exugunt medullitus, qui omnia humana diuinaq; iura peruertunt, ut priuatę studeant vtilitati.

Rat. Appetunt equidem. Ani. Non credo nisi explicueris. Appetunt ne bonum qui vrenti ambitionis igne semiusti, regnis, imperiis, dignitatibus, potentatibus inhiāt, nihilq; non faciunt illi philopluti homines, vt garris aliquid in suā adtrahant masā?

Rat. Appetunt anime, sed non est id summum, quod querimus bonū: fictum nanq; et vmbatile est idipsū, quod ambiunt bonū. Ani. Quomodo?

*Quid sit fictum et perfonatū bonum.*

Ra. Quia boni specie falsi, relicto illo summo et immarcesibili bono, ad bonum quoddam psonatum, variasq; in partes dissectum, per deuia queq; ducūtur. At qui istud summū quod

PARS TERTIA 51

quod loquimur bonū, verū, indiui-  
 duū, potētissimū, reuerēdissimū dig- *Quid, et*  
 niss. omniūq; bonorū præcellentiss. *quale sit sū*  
 dicimus: idq; Deus esse creditur, qui *mū bonū*  
 (vt est vera et vnica beatitudo rerūq;  
 omniū principiū et finis) non cessat  
 sepultos his carneis sepulchris ani-  
 mos, secretioribus mouere instincti-  
 bus, horasq; singulas ad se raptare.  
 Sed tu dum falso male iudicantium  
 sensuum suasu, volens deciperis, dū  
 tuę Carni plusquàm liceat subseruis,  
 boni veri specie illusus, hoc umbra-  
 tile, personatumq; bonum petūdum  
 tibi proponis. Ani. Istud haud norā  
 Ratio. Rat. Hoc tamen notum prius  
 oportuit. Nam si inscitia bonum id  
 summum deferas, viciosa autē secte-  
 ris, quid hac ignorātiae cœcitate ab-  
 iectius? Si vero trāsuersum libido ege

D ii rit;

rit, vel fragilem in nephas intruferit  
 appetitus, quid hoc eneruatius? At si  
 volēs sciēsque à virtute ad uicia te de-  
 flexeris, quid hoc pestilentius, aut ca-  
 lamitosum magis? Sit ergo tibi fixū  
 immotumque, nō esse summū bonum,  
 quod mortaliū plerique vario tramite  
 venantur, nihilque in eo solidę felicità-  
 tis cōtineri, quod à delirantibus ani-  
 mis imprudenter affectatur.

Quum te falsa boni species capit,  
 Spes quippe vanas concipis:  
 Nam quod te lactat fallax bonum,  
 Summi putes umbram boni.  
 Est vnum, certumque Deus bonum,  
 Quod sine nullo clauditur.  
 Sed quod, stulte, bonū poscis tibi,  
 Præbet malignos exitus.



## QUARTA



Ed aliud audi, quod te inducit, vt id summū bonū totis, quod dicunt, neruis exquiras, & in eodē solo delecteris. Anim. Audio, bellacula cōiūx, tuacq; isthæc dicta auidissime deuoro. Rat. Duo hominis esse p̄ci *Duo præcipua rerum*  
 pia iā ex me p̄cepisti. Anim. Sic est *pr̄cipia materia*  
 charissima. Rat. Nūc ergo vt (gene *teria* &  
 ralius loquar) duo pone præcipua re *forma*  
 rum omniū principia. Anim. Quæ?  
 Rat. Formā actionū omniū effectri  
 cē. Anim. Alterū. Rat. Materiā for  
 mę suppositā, quæ formā non minus  
 appetit, quā virum mulier, nec abs  
 re: nam sine forma nec est, nec per  
 ficitur. Anim. Est ergo (vt video)  
 eorū alterum agens forma: alterum  
 patiens materia. Rat. Pulchrè infers

D iiii Ani.



Ani. Et quoniam vnum sine altero esse nequit: cōsequens est vtrumq; cōiunctā (qua cōsistunt) vnitatem appetere: alterum autem alterius segregationē refugere. Ra. Rectē cōiectas sed quid demū? Ani. Bonum esse id permanere, quod omnia appetunt, vnū & illud quidem bonum singula appetere, verum deniq; quod afferis, bonum omnia appetūt. Rat. Optime. Ad hoc istud adde, quòd licet caduca, corruptibiliaq; sint oīa, quæ sub ipsius Lunæ globo continentur, prima tamen atq; vna rerum omnium materia ingenerabilis, incorruptibilisq; permanet, Verū (quod invariabilis est) diuersis commisceri formis semper appetit, ac illud vnum, et bonum in variis connexionibus desiderat. Hac autem mirabili formarum

PARS QUARTA 55

marum alternatione, incōprehēfibilis dei spiritus, mobiles generationū omnium progressus cōtinuat, hācōq; totā mundi massam sub vna solida materia earūdē formarum varietate decorat. Ani. O admirandam dei sapiētiā. Rati. Verū qm̄ rationali dempta, quēlibet forma diuidi corrūpīq; potest: quā cæteris nobiliore credis? Ani. Rationalem. Rat. Rectè arbitraris. Sed ( tãetsi creaturas quasuis naturæ suæ dignitate superet ) nūq; tamē satiari pficiue poterit: nisi simplicissime dei substantiæ coniūgat, quando autem ei coniungetur, nōne te summę beatitudinis et diuinitatis adeptione, beatū, futurūq; Deū credis? Ani. Credo firmissime: In Deo nanq; erimus, & deus in nobis. Rat. Adde qđ omnibus astris, sidereisq;

orbibus eris lucidior. Anim. Deum optimū, qd audio? Rat. Nōne vides ea, quæ inferius subsunt, elemēta, tāto turpiora esse, quantò ab ipso rerū omnium principe sunt remotiora? Nōne aqua vilior, et multo crassior tellus, aër aqua purior et leuior, subtilissimum et purissimum elementorū omniū ignis? Anim. Isthaec vera omnia. Rat. Quid si cœlos spectes? Nōne igni multo clarior, leuior, & purior ille auricomus Apollo, huius infimi orbis lampas fulgentissima? Nōne mobiliiores, puriores, agiliores elemētis omnibus, & ex iis constātibus, cœli ipsi, omniaq; cœlorum sidera? Anim. Hoc ipso sole & sideribus est clarius. Rat. Consequēs est te (vbi bonorum præcellētissimo, rerumq; omniū pulcherrimo cōiūctissimus, præ

PARS QVARTA 57

præsentissimusq; fueris, cunctis inferioribus & puriorē, et clariorē fore.

Anim. O immensam Dei beatitudinē, O inæstimabilē bonis præparatū thesaurum.

Qui cupit altum  
 Noscere regem,  
 Magnaq; sancti  
 Præmia cœtus:  
 Exuat atræ  
 Nubila mentis,  
 Ponat acerbas  
 Pectoris iras,  
 Non petat alti  
 Culmen honoris,  
 Non fitis auri  
 Vexet anhelum,  
 Nullaq; firmum  
 Nortia mutet:

Sed

Sed fit eodem  
Tramite pergens,  
Altaq; summi  
Gaudia cœli  
Voluat aperto  
Lumine mentis .  
¶ Quæ bene si quis  
Omnia norit,  
Blanda voluptas  
Mollia nusq;  
Pectora vincet.  
¶ Nulla quietum  
Auferet vnquã  
Sæua libido:  
¶ Ast vbi putres  
Liquerit vmbra  
Corporis artus:  
Lucida cœli  
Regna tenebit,  
Hicq; perenni  
Pace quiescet .



## QVINTA.

ANIMVS.



Ttigisti singula subtili-  
 ter mea **RATIO**: Sed ad  
 huc restat scrupulus, qui  
 me hactenus vehementer  
 obturbauit. Rati. Quur te mihi non  
 aperis, detegisq; omnia, vt præsens  
 morbo remedium præstet? An. Faciã:  
 Si omnia (vt nunc loquebaris) bo-  
 num natura appetunt, et ad id inte-  
 riore quodã summi boni instinctu  
 adtrahantur, quid est quod pleriq;  
 mortalium insana temporalium re-  
 rum libidine victi, huic tam excellẽ-  
 ti, tamq; forti bono obsistunt, et suæ  
 benesuadae naturæ non obediunt?  
 Cur (cum id verum et summum bo-  
 num, ex alta diuinę Prouidẽtiæ tur-  
 ri cuncta videat, cuncta suauiter &  
 sine

sine quoquã reluctamine disponat ,  
 penetret, rapiatq̃, quò velit ) non est  
 populosior bonorũ numerus, impro-  
 bitas abiectior , virtus sublimior ?  
 Cur (si verum illud est, quod asseue-  
 ras) exulat innocentia, in orchestra  
 sedet improbitas, deportantur vltra  
 extremos Garamãtas virtutes , ma-  
 liq̃ sua ex improbitate referũt præmia?  
 Quæ omnia ( vt vera esse cõprobẽ )  
 pauca (ni te distædeat ) super diuer-  
 sis hominum ordinibus adducam .  
 Rat. En agedũ vulnus istud grauissi-  
 mũ detege. Anim. Militans nostra  
 ecclesia, humani generis liberatoris  
 IESV CHRISTI meritis et sanguine  
 stabilita, et super solidam confirma-  
 ta petram, cuius per Petrum aposto-  
 losq̃ omneis defensa, atq̃ aucta fuit  
 authoritas, nũc pristina dignitate,  
 cultuq̃

P A R S Q V I N T A

61

cultuq; venerādo exuta, lamētabiles  
 mouet tragoedias. Rat. Ah quid au-  
 dio. Ani. Qui eā suis illustrasse vir-  
 tutibus debuerāt, ignominiosam ali-  
 quādo reddidere, sanctumq; domini  
 templum multiformi vitiorum labe  
 prophanarunt. Ecce enim ( vt hic  
 incipiam ) pertinax quēdam hēresis,  
 maiorum nostrorum contemptrix,  
 ecclesiastici inimica ordinis, vt in  
 omneis, ita et in sanctos dicacula, li-  
 bera omnium voluptatum altrix, bo-  
 nam Christianorum partem illudit:  
 Nec solū literatorum aliquot sibi ni-  
 mis Suffenorum animos cœpit, sed  
 et magnatum cōplurium, ipsorū etiā  
 plebeiorum, infimēq; notę hominū  
 ad se detorsit ingenia: vsq; adeò sua il-  
 la in voluptates libertate, nimiaq; vi-  
 uendi licentia valuit. Quo me putas  
 esse

*Multiplex  
 in ecclesia  
 hēresis*

*Venerādā  
esse Christi  
matrem Ma-  
riam.*

esse animo, quum videam huic pesti  
non reniti, sed in eadem cōsenescere  
plurimos? Quum videā incorruptæ  
CHRISTI genitrici honorē adi-  
mi, quæ (nisi me prius fefelleris) si sū-  
mo illi bono quod pro nobis homi-  
nem factum concepit, et quoad vi-  
xit, vt filiū mater aluit, sit cōiunctis-  
sima deuictissimaq̄, quid obest quo-  
minus eiusdem diuinę intelligētīæ,  
reuerentiæ, et potentiæ sit particeps?  
quod si verū sit ( id enī quis abnega-  
bit?) cur diuinæ beatitudinis, et diui-  
nitatis participē non venerābimur?  
Quur eā nō precābimur, q̄ ipsi cōne-  
xa bono, nō modo videt, sed & præ-  
uidet q̄ iusta à iusticię sole iustissime  
impetrabit? Quid enī illavelle potest,  
quod non velit is, cui arctissime iun-  
git? Aut q̄ illi volūtas, q̄ nō Deo? aut  
quis



PARS QUINTA 63

qs illi honor nisi eius in quo est Dei?  
 Quid ergo obstrepitis, qd argutis mē  
 daciis pplexas hoīm mētes suspēditis  
 (heresiū factores pessimi?) Tātūm ne  
 sectarū, Tantūm ne heresum mise-  
 ros perpetuum confundant? Canite  
 (queso)receptui, sanioresq; vobis mē  
 tes Deum poscite: Sed ad te redeo  
 mea Ratio. Præter hoc hereseos vi-  
 rus, aliud ecclesiæ monstrum obti-  
 git. Caput nāq; in altum erexit am-  
 bitio, quę omneis insana habēdi do-  
 minādiq; libidine adeo demētavit:  
 vt iam Domini templum, nō sit de-  
 uotionis et orationis domus, sed pa-  
 tens latronum spelunca, in qua quis  
 quotidie columbas vendi, omniāq;  
 esse venalia non videt? Verum si ipsā  
 ecclesiæ domum, nō videris tantum,  
 sed introspexeris, cernes statī pmul-

*Mala que  
 ex sacerdo-  
 tum ambitio-  
 ne, tāq; ex  
 malorū om-  
 niū fomite  
 emanarēt.*

tos



*Miserā dūs  
ecclesię  
status.*

tos in eadem errantes, magnum illi-  
teratorum nebulonum, sycophan-  
tarum vulgus, complures non homi-  
nes, sed ventres, sed vtres, & ampho-  
ras, infinitos hypocritas, dealbata se-  
pulchra, tauros itidem et canes fame  
rabidos, in curiis et palatiis principū  
cursitantes, nunc viciis adlatrantes,  
nūc datis moribus mutos, ac ipsoꝝ  
Heroum manus ad lambētes. Quid  
dicam? Si domus interiora penetra-  
ueris, inuenies illic prodigos helluo-  
nes, Christi et ecclesię bona abligu-  
rientes, quę sua sunt, non quę Chri-  
sti quęrentes, sibi ipsis, non Christo,  
non populo viuētes. Si autē domus  
palatium videris, sedentem pro tri-  
bunali inuenies Symoniam, quę (vt  
est multis comitata technis & frau-  
dibus) primas ecclesię dignitates pin-  
guiaq;

PARS QUINTA 85

guiaq̄ venatur sacerdotia . Porro si  
 cuncta domus loca diligenter lustra  
 ueris, videbis nonnullos leues, & sub  
 dolos ecclesiæ athletas, qui elapsis re  
 tro diebus, ambitionem publico cō  
 uitio non cessabant lacessere, hancq̄  
 procul ab ecclesiæ sacrario, vt vipe  
 rā, vt pestem eliminare . Sed ecce, ô  
 nephas, illi ipsi pseudophilosophi,  
 nunc in media ambitionis aula præ  
 cipui cōspiciuntur. Alios videre est,  
 quos monastico viuere addecebat  
 ocio, spretis claustris, cum seculari  
 bus discinctisq̄ hominibus soli gulę  
 inseruire, omnia pro animi libidine  
 agere, eam quam sunt professi reli  
 gionem execrari, nihil populi scom  
 mata pendere, sed in suo errore effrō  
 tes permanere. Postremo si mercena  
 rios domus seruos apud te reputa

E ueris

ueris, quid his dices ineptius, quid imprudentius? Nulla altaribus reuerentia: nulla diuinis obsequiis adhibetur diligentia. Reperies passim locorum mystagogos, sacrificosq; parochos nihil pensi, nihilve considerati habere, sed dissolutos, æbrios, et quibusuis pessimis nebulonibus deteriores. Horū autem exēplo ita vulgus in errorem trahitur, vt plæriq; se in omnem peccādi licētiā effundāt, nec ipsos Dei sacerdotes, quos angelos domini exercituum, sal et lumen mūdi, imò & Deos sacra vocat scriptura, pluris faciant, q̄ vilia quæuis mancipia. Omitto tristes pauperum questus, qui ad limē domus ecclesiæ misera fame cōtabescētes, egreferūt ecclesiam tot bonis affluere, templa auro nitere, gemmis splēdere altaria,  
Christū

P A R S Q V I N T A. 69

Christū tamē ad fores frigus ppeti,  
 nudū esse, fameq̄, & siti perire. Quid  
 hic immoror? Si te ad aulicorū ordi- *Dplorandū  
 dus aulicorū  
 rum status.*  
 nē cōvertas, quid hic spectabis præ-  
 ter ambitionem, inuidiā, factiones,  
 oppressam & cōtēptā innocentiam,  
 tectā simulationis pallio veritatem,  
 hypocrites, erectam superbiam, læ-  
 sa s̄q̄ modis omnibus, & pudicitiam,  
 & temperātiā, & verecundiam, cę-  
 terasq̄ insigniores virtutes? Quid de  
 niq̄ hic cernes præter suorum com-  
 modorum amatores, & oculatarum  
 manuum viros, præter subdolos, va-  
 fros, in Deum blasphemos, veterato-  
 res, & malitiosos homines? Quid di-  
 cam? quouis locorum oculi aciem di-  
 rexeris, impura omnia, vitiosa om-  
 nia, ficta omnia videbis. Paucos ad-  
 modum in sua castra recepit virtus,

Eii qui



qui quotidie improborū malicia va-  
pulant, crebrisq; malorum impetun-  
tur incurfibus. Hæc omnia faciunt,  
mea Ratio, vt credam mundum hūc  
abfque gubernaculo vacillare, nec fo-  
lum efle appetendum bonum iftud  
fummm, quo omnia rapi arbitra-  
ris, fed enitendum, vt diuitiæ, digni-  
tates, potentia, me ab hac miseria, in  
fœlicitatem afferant, ne (dum tot ho-  
minum meliora nihili pendo confi-  
lia) neglectos huiufce vitæ fœlicio-  
res prouentus ferò ingemifcam.

*Rationis querimonia.*

Quisnã error miseros deuius abftu-  
Quæ cepit ignorantia? (lit,  
Quur celso folio peffima confidet  
Libido mentes enecans  
Quur fçuo fcclerum faucia vulnere  
Præclara virtus ingemit?

O ftul



PARS SEXTA. 69

O stultos homines, dū petitis bonū,  
 Malum latens acquiritis,  
 Nō aurum, atq; Midæ copia diuitis  
 Viros beatos efficit:  
 Sed solus superūm p̄ meritis Deus  
 Post dura, foelices facit.

HORAE PARS  
 SEXTA



Os vbi imo ex pectore ge-  
 mitus effudit Ratio, sequē-  
 tia subiungit. Timui  
 semper quod miseræ ob-  
 tigit, ne (dum morborum vnum cu-  
 rare) alii veluti Hydræ capita exur-  
 gerent. Me miseram, quur redis ad  
 vomitum, teq; in cœnum intrudis à  
 quo pedes extraxeras? Ne tu incōstās  
 es, Anime, qui summum bonum in-

E iiii tra

tra omnia, extra omnia, supra omnia esse, idq; ad seipsum omnia mouere, circundare, penetrare, fueris cōfessus, nunc autem quasi prioris immemor colloqui, dictis cōtraria deblateras? Ani. Suisq; deq; feras oportet, mea Ratio, quoties enim miserriam huius seculi conditionem recolo, dictorum ad huc dubius, palinodiam non possum non celebrare. Rat. O instabilem versipellemq; animum: Sed dic, quæso, verū ne est nos naturæ bonitate ad honestum & decorum trahi? Ani. Verum. Rati. Id ergo si verum sit, quis hoc naturæ tribuit, vt turpi aduersaretur, ipsius autē honesti esset amatissima? Ani. Deus prima rerū omniū causa finisq; ultimus. Rat. Deum ergo naturæ patrem, honesti amantissimum, & ad  
id

PARS SEXTA 71

id sedulū motorē cōsequēs est vt fa-  
 teare, cūq; is summū bonū sit, necesse  
 est vt cōcedas bonū summū ad se ani- *Deus et na*  
 mos trahere, et vnūquenq; instanter *tura ad bo-*  
 mouere, vt seruata naturæ lege, tur- *num nos in-*  
 pia eliminat, honesta colat, vitia exe- *ducunt.*  
 cret, virtutē amplectat, idq; agat, vt  
 recto bonitatis tramite, idiplū (quò  
 perficiendus est) bonū repetat. An. Te  
 explanatius loquutū oportuit, quor-  
 sum enim eas, nō satis assequor. Sed  
 hoc vnū dilue, Quur huic tuo præcel-  
 lēti bono nō obediūt omnia: sed ad  
 malū certatim cōfertimq; curritur?  
 Rat. Falsus es, Anime, nā quis nescit  
 Deū, id est hoc ipsum (quod loqui-  
 mur) bonū, ptingere à fine vsq; ad fi-  
 nē fortiter, et disponere singula sua-  
 uiter? Ani. At quomodo obedit sua-  
 uiter omnia disponēti, quē mala du-

cit libido, quemue præcipitem agit  
 improbitas? Rat. Esse is non dicitur  
 amplius. An. ha ha he me rides? Ra.  
 Nō rideo: nam qui honesta linquēs,  
 turpibus inuoluitur, quod naturæ le-  
 gem violarit, cadit ab eadem, esseq;  
 definit. Ani. Nō sunt ergo tot homi-  
 nū legiones, quos omni in statu cor-  
 ruptissimis esse moribus memini-  
 mus? Rat. Nō sunt: mortui enī sunt  
 omnes. Anim. Pape, quis hoc dicit?  
 Rat. veritas. Sine, inquit, mortuos,  
 suos mortuos sepelire. Vide quomo-  
 do mortuos, impios dicat. An. Incre-  
 dibilia narras. Rat. Vera narro. Ani.  
 Eramus ergo ante noui Adami IESV  
 CHRISTI mortem, mortui oēs.  
 Rat. Rectè infer, nunc enim in nouo  
 nostro Adam IESV CHRISTO su-  
 mus, & viuimus. Ani, Sed quid? Qui  
 in

*Non est, qui  
 per uitium, &  
 natura stas-  
 tu cecidit.*



PARS SEXTA 73

in peccatis moriuntur, perpetuone  
mortui? Rati . Perpetuò. Ipse siquidē  
vita nostra CHRISTVS , mortuos  
pœnis dabit ppetuis, viuos aut̄ seipso  
replebit, beatosq̄ faciet. Ani. Isthec  
adhuc capere nō possum: nam tu ti  
bi cōtrariari vidcris. Rat. Qui? Ani.  
Quòd prius immortalem Animū,  
nunc vero mortalem asseras. Rat.  
Cęcutin' qui tā patulū lumē nō per-  
cipis? Credis te p̄inde immortalem  
atq̄ Deum? Ani. Credidi aliquādo.  
Rat. Pessimè: Ipse enim mortaliū im-  
mortaliumq̄ rerum creator Deus,  
omnino est immortalis: tu autē, ali-  
quo es mortalis modo: Quoties enī  
vitā, id est Dei iustitiā amittis, tam- *Dei iusticia*  
etsi qualicunq̄ vita in corpore creda *vita est ani*  
ris viuere, mortuus es tamē: Sed quā *mi.*  
do vitā recuperas, tibiq̄ restitueris,  
vuius



viuis refurgis, eòq; illi iustitię, id est,  
 Deo, similior efficeris, quo eius par-  
 ticipatione es iustior. Ani. Non sol-  
 uis: nam si verũ est, me ad Dei ima-  
 ginẽ creatũ, qui fit, quo minus incõ-  
 mutabilis totus, totusq; immortalis  
 siem. Rat. Immortalis es, sed neq; vt  
 Deus immortalis, neq; vt Deus incõ-  
 mutabilis. Quis enim non videt nũc  
 te in deterius deficere, nunc renascẽ-  
 ti virtute p̄ficere in melius? Ecquis  
 non videt (quantũ ad tuas ipsius affe-  
 ctiones attinet) te quod non habe-  
 bas, incipere habere, mox quod habe-  
 bas, habere desinere? Hęc nõne ex te  
 ipso quotidie pernoscis? Ani. Quic-  
 quid dixeris, nõquã me eò adduces,  
 vt credã eũ mortuũ qui multa potest,  
 eũ nõ esse qui fornicat, qui occidit,  
 qui bona aliis detrahit, furatur, et ab  
 ipsis

ipsis etiam statuis exigit farinā. Rat.  
 Erras, Anime, improbos nāq; impo<sup>impotentes</sup>  
 tētes sua reddit infirmitas. Ani. Quo<sup>sunt impro</sup>  
 modo? Rat. Quia bonum assequi ne<sup>bi.</sup>  
 queunt, in quo tamen querendo to-  
 tā operam et oleum infumunt, labo-  
 ratur horatim, insudatq; ab impro-  
 bis alacriter, ab his tamen veri boni  
 nihil demetitur. Ani. Quid huius-  
 modi rei causæ est? Rat. Quòd bonū  
 non recto virtutis tramite querant:  
 quo fit vt blandum quoddam malū,  
 aut (si mauis) infelix, & periculosum  
 bonū non sine egro labore consequā-  
 tur. Ani. Malū tamē facere possunt.  
 Rat. Fateor, sed id mali nihil est: quò  
 fit vt verè impotētes habeātur. Atq;  
 dū ad illud verum, vnū, et indiuiduū  
 bonum intendunt, idq; sua improbi-  
 tate attigere nequeunt nihil faciunt,  
 id

id est, malū in suā crucē operantur,  
 quo tandē (dū seipfos lēsa remordet,  
 & lacerat conscientia) miseri, infeli-  
 cesq; redduntur.

Nemo scelestos esse potentes  
 Credat: nanq; vbi pulla caterua  
 Scelerū, nostræ sancta resoluit  
 Naturæ iura, imaq; turpis  
 Macula viciū pectora fordent,  
 Refugit Ratio, seuaq; cœcos  
 Mors necat Animos. Dira libido,  
 Rabidiq; premunt corda tyranni.  
 Hic mala sedes ponit Erinnyes,  
 Stygiæq; Canes: hic mala mentis  
 Gaudia sunt, metus, ira, furorq;  
 Curaq;, quid dicā: eminet illic  
 Plurima seuaē mortis imago.

Horæ

# HORAE PARS SEPTIMA

## RATIO,



Ed quia te perituris hu-  
iusmūdi bonis ita deuotū  
video, vt horū dominos  
nedum potentes, sed et be-  
atos arbitreris, isthāc tuam hæresim  
radicitus euellere conabor. Ani. Dic  
qd̄ lubet, audio. Rat. Putasne quos  
diuitiis affluere vides, tātoperēq̄ mi-  
raris, beatos homines? Ani. Beatiores  
nullos existimarim: Nam reuera tā-  
ti sumus, quantum habemus. Et vt  
inquit ille,

*Scilicet uxorem cum dote fidemq̄; & amicos,  
Et genus, & formam, regina pecunia donat.  
Et bene nummatum decorat Suadela, Venusq̄;*

*Horatius in  
Epistolis.*

Et

Et genus & uirtus (nisi cum re) uilior alga est.

Vnde nō abs re inclamat,

O ciues, ciues, querenda pecunia primum est,  
Virtus post nummos, hæc Ianus summus ab imo  
Prædocet.

Hinc rectè illud dictum,

Donec eris fœlix multos numerabis amicos:  
Tempora si fuerint nubila, solus eris.  
Horrea formicæ tendunt ad inania nunq̃.  
Nullus ad amiffas ibit amicus opes.

Et illud

Quantum quisq; sua nummorum seruat in area,  
Tantum habet & fidei.  
Sed quis vel hominum infantissi-  
mus diuitias nō plurimi faciet?  
  quas qui construxerit, ille  
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens, etiam & rex,  
Et quicquid uolet.  
Ecquis diuitias nō videt amicitiarū

con



PARS SEPTIMA 79

conciliatrices: solas honorum largi-  
trices, imperiosasq; rerum omnium  
dominas? Quid quassas caput? nū ve-  
ra prædico? Rat. Poëtaris, Anime: nā  
quis sanę mētis eum putet beatum,  
qui cum aureos habeat grumulos,  
seipsum tamen non habet? Qui dum  
infatiabili animo opes augere, exag-  
gerare pecunias, terras occupare, cæ-  
terisq; diuitiis præstare cupit, iustitię  
formam exuit, beneficētiamq; amit-  
tit? Præterea eum putas foelicem quę  
singulis horarum momētis inexhau-  
sta vexat auaritia? Est equidē (si ne-  
scis) ea diuitū natura, vt semper qd  
sibi desit aueāt, sacraq; auri fame ma-  
gis atq; magis torqueātur, ita vt ve-  
rum sit, quod à poëtis canitur.

*Creuerunt ei opes, et opum furiosa libido,*

*Et quum possideant plurima, plura petunt.*

Quærere

Quidius.

Querere ut absument, absumpta requirere certant;

Atq; ipse uitii sunt alimenta uices:

Sic quibus intumuit suffusa uenter ab unda,

Quò plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ.

Et illud Claudiani

Plenus seuitiæ lucriq; cupidine feruens.

Non Tarteſſiacis illum satiaret harenis

Tempeſtas præcioſa Tagi, non stagna rubentiæ

Aurea Pactoli, totum ſi exhauſerit Hermum

Ardebit maiore ſiti.

Et ſubdit

Quò (ueſane) ruis, teneas utrumq; licebit

Oceanum, laxet rutilos tibi Lydia fontes.

Iungantur ſolium Cyi Croæſiq; thyræ

Nunquam diues eris.

Sed quid hac ſacra diuitiarum eſurie peſtilentius? quid homine libero

auaritia indignius? Hæc enī fidē, pro

bitatem reliquasq; virtutes euertit.

Pro his autem ſuperbiam, crudelita

tem, deos negligere, omnia uenalia

habere edocuit. Sed (ut ad cætera de

ueniam) comperiſti ne aliquando

quietū

PARS SEPTIMA. 8e

quietum liberiq; & expediti animi  
 diuitē? Quem vidisti non morosum,  
 aut insolentem? vel cuius animū assi-  
 dua cōseruandarum diuitiarum eu-  
 ra non rumperet, vel male partarum  
 rerum lacera conscientia non argu-  
 eret? Est nimirum fœlicitati multo  
 vicinior qui soli Deo diues esse que-  
 rit. Is enim pro nobis pauper factus,  
 quū diues esset, vt sua nos ditaret ino-  
 pia, suam non fastidiosis, inanibusq;  
 diuitibus repromisit beatitudinem,  
 sed pauperibus, Deo tamē diuitibus. *Matth. 19.*  
 Quin etiam facilius camelū, acus fo-  
 ramē ingressurū asseruit, quàm reg-  
 num cœlorum diuitem. Audi quan-  
 ti vaselectionis Paulus, qui vranogno-  
 mon verēq; assertor fidei dicitur, tuas *paulus ad gal.*  
 fecerit diuitias, Quæ mihi, inquit, lu-  
 cra fuerunt, hæc propter Christum  
 F duxi

*Zeno.**Bias Prienensis.**Diogenes.**Solon.*

duxī detrimenta. Et addidit, Propter quem omnia duxī damna, et estimo ut stercora. Vide quātum amissis diuitiis indoleat zeno. Iubet, inquit, fortuna me expeditius philosophari. Memento quæ sua esse dixerit Bias Prienensis, quum sua omnia à se portari respondit. Agita tecum quanti reputarit inanes Alexandri diuitias Diogenes ille facetissimus humanæ fœlicitatis irrisor. Disce à sapientissimo Solone, fœlicem ante obitum neminem, diuitiasq; non ipsum præstare quod quærimus, bonum. Sed tu fortasse, Multa possunt diuitiæ. Fateor ego, si ad liberalitatem, cōmunēq; beneficentiã cōferas. Sed quid si ad exequendas deliræ mentis affectiones, idq; cōplēdū quod improbi sua serit appetitus, has virtutū effuderis pedissequas



PARS SEPTIMA. 89

sequās? Quid, nisi tristissimos quot-  
 uis exitus, afferre poterūt? Adducere  
 super his exēpla penè infinita, nisi te  
 hac nauseosę proſę prolixitate fractū  
 viderē. Audi ergo dum spiritus, vi-  
 resq; resumis, hoc pegaseum nostrę  
 Thalię melos, quo lætior factus, cęte-  
 ra iucundius haurias,

¶ Aureos quisquis sitibundus ardet  
 Pactoli fluctus, furit hic, & omni  
 Temporis motu, pereūdo, languet.  
 Non illum mollis requies, nec auro  
 Pax mentis multo melior fouebit.  
 Nunquam gaudentis fluet ore risus,  
 Nec blandę tristē Charites reuisent.  
 Semper morosum trepidi timores,  
 Et graues curę pavidum retundent.  
 Ergo quis nostrūm miseros negabit  
 Diuites? Crassi meditare tristeis

*Diuitū ma-  
 seria,*

*Crassus,*

F ii Exitus



Exitus, quem non fatiauit vlla  
 Tempesta s Hermi, rutiliq; Gangis.

*Midas.* Quid Midæ stultas preculas, acerbū

*Cresus.* Quid regis fatū memorabo Cræsi ?

¶ Hoc ergo prudens animo recōde,  
 Auro plus fellis miseris parari,  
 Quàm mellis, fati hoc series docebit.

*Ad hæc Animus,*

¶ Tuis me vincis rationibus, mea  
 Ratio, mihi tamen persuadere non  
 possum nos hic natos, vt mera fel-  
 lis & aloës pocula bibamus, nullam  
 dulcedinis guttulam aliquādo hau-  
 suri. Sed dic, precor, si nihil sunt tibi  
 diuitiæ, quid metuenda regum potē-  
 tia, quid dignitates, quid gloria? Rat.  
 Adhuc in luto hæsitās, à quo vbi pe-  
 dem vnum extricasti, altero profun-  
 dius demitteris. Quid nunc moueris  
 dignitatibus, quæ indignis sæpius ob-  
 tingūt,

PARS SEPTIMA. 85

et ingūt, suisq; dominis, nō gloriā, qua  
 (vt video) totus vreris, sed ineluibilē  
 infamiæ notam impingunt. Vis me  
 recurrere ad annales veterum histo-  
 rias, quibus inuidias, factiones, con-  
 iurationes, intestinaq; magistratuū  
 odia audire possis? Vis me dicere no-  
 vissimas eorū rapinas, subdolas col-  
 lusiones, aliaq; furta insignia, quibus  
 suæ argentāginæ fallaces illę vulpe-  
 culæ medebantur? Hæc omnia si or-  
 dinatim recēserem, nedū Hora ista,  
 sed neque sæculum sufficeret. Tu er-  
 go perinde atq; vngues habe explo-  
 ratum, beatiores eos esse qui in pesti-  
 lentia cathedra non sederint, qui pri-  
 mos nō ambiuerūt accubitus, q̄ pru-  
 riētē ad vanos dignitatū titulos ani-  
 mum non habuerint, Rabiq; voca-  
 ri neglexerint, sed suo se pede metiti,

infima tenuere subsellia, ad altiora  
 tandem humilitate trasuolaturi. Quot  
 tamen videas, ah dedecus, qui in peri-  
 culosis dignitatum orchæstris sedere  
 non formidant, qui interiore vitio-  
 rum colluuiione putres, et Pharissæo-  
 rum fermento infecti, dicunt quæ nō  
 faciunt, suisq; importabilia alligant  
 onera, quæ nec vellent digito attigisse?  
 Quot sunt qui viduis, pauperibus,  
 pupillis, aurem occludunt, sed  
 bene nūmatis non solum aures ape-  
 riunt, verum & corruptissimos deuo-  
 uent animos? Quot sunt denique id  
 genus prædones, qui suos infertietes  
 loculos, publicum bonum, cui deuo-  
 tos esse oportuit, exhauriunt, popu-  
 lumq; Dei vt escam panis deuo-  
 rant? Itaque libet ad cœli rectorem  
 exclamare,

Matth. 23.

David psal.

¶ O potens hominum fator,  
 Rector ætheris ardui,  
 Hæc ne prospicis & files?  
 Quur sedent superis tholis  
 Præsidentq; ouibus lupi?  
 Cur trifulca leui manu  
 Tela non citus iniicis,  
 Hoc vorax genus vt neces?  
 Monstra viuere quur finis,  
 Quæ tuum placidum pecus,  
 Ore dilacerant ferro?  
 Hæc ne prospicis, et files?  
 Sed licet feriat malos  
 Ultio tua serior,  
 Hos tamen merito malo  
 CHRISTE sæuius atteres.

¶ Nunc ad tuam qua raperis gloriã  
 reuertor. Non te pudet (omniũ quæ  
 cœlũ tegit leuissime) vana auris infla



tione totum rapi, popularibusq; au-  
 ris appendere? Dic, quæso, quandoqui-  
 dem in te grauius desomachari me  
 cogis, quid aliud sunt istæ tuæ glori-  
 olæ, quam cuiusdam vmbrae fugi-  
 entisq; laticia prætereuntes fumu-  
 li? Quid aliud isthæc tua doxa, q̄ statim  
 periturus aurium ventulus, quam va-  
 por euanidus, et repētè transiens? Sed  
 ex quibus quæsitam tibi gloriã ex-  
 postulas? an ex vitis? Ani. Minime.  
 Quid enim hoc vno scelestius? Mihi  
 satis superq; erit, si ex animi vel cor-  
 poris virtutibus, possim mihi gloriã  
 collucrari. Rat. Ergo virtutes pro-  
 pter gloriã expetis: q̄, si Philosopho,  
 totiq; Stoicorum scholæ astipuleris,  
 propter se solæ sunt expetendæ: nam  
 quis nõ crederet honestũ quoduis of-  
 ficiũ, per externi alicuius vtilis, illud  
 vel

Virtutes, p-  
 pter se sũt  
 expetendæ.



PARS SEPTIMA. 89

vel obumbrantis, aut certè tollentis  
 additionem fieri inhonestum? Ea sa-  
 ne virtutis est natura, vt sola sibi præ-  
 mium sit, popularisq; auræ secura,  
 nihil admittat, quod vtilitatis pretextu,  
 suam vel adūbret, vel adimat honestatem.  
 Gloriam ergo quam falsò tibi vtilem reris,  
 si tuis his virtutibus innexueris, qd  
 aliud facies, quàm earum decorū denigrare?  
 Habe igitur certum, nihil ambitioso homine  
 gloriæq; cupido indignius: In eo enim  
 videre est varias affectiones oboriri,  
 rationē cōfundi, omnē obrui fidem,  
 et integritatem. Quid multa? Satisne  
 veritas eos reprobat, qui perituram  
 mūdi gloriam suis demetere quærūt  
 meritis? De quibus inquit, Amē dicō  
 vobis, Acceperunt mercedē suam.  
 Nōne pauperibus dādū in abscondi-  
 to, obse

*Virtutis natura.*

*Matth. 6.*

to, obserato thalami hostio orandū,  
 multaꝫ huiusmōi cōsuluīt homini-  
 bus gternū illud Dei verbū CHRI  
 STVS IESVS, vt scilicet, dū hęc  
 facimus, nostra soli Deo nota ope  
 ra velimus, nullā ex his reposcentes  
 gloriam? Ecquid, Deum immortalē,  
 stultius, quā hominibus placere, &  
 apud Deum vilescere? Si hominibus  
 (inquit Paulus) placerem, seruus Dei  
 nō essem. Quis enim duobus, et pla-  
 cebit, et seruiet dominis? Gloriam er-  
 go quæris hominum? Deo ignomi-  
 niosus efficieris. Gloriam Dei quæ-  
 ris? Ab iniquis certē vapulabis, odi-  
 isꝫ improborum exagitaberis. Ve-  
 runtamen si constanter in agone cer-  
 taueris, immortalitatis lauream ab  
 eo accipies, qui te in misericordia &  
 miserationibus coronabit.

Paulus ad  
 Gal. 1.

Gloria

PARS SEPTIMA 91

¶ Gloria fallax quid face mentes  
 Vris, & aura pascis inani?  
 Tu, licet et sis mentis honestæ  
 Fax, & celsi calcar honoris,  
 Attamen es niue fluxior alba,  
 Fluxior & glacie, es quoq; bulla  
 Atq; fugaci vanior umbra.  
 Nil tua virtus præmia curat:  
 Nam suus haud est gloria finis,  
 Sed Deus, in quem sedula tendit,  
 Quem petit, & cui pressius hæret.

*Virtutis finis  
 nis nõ gloria  
 sed Deus.*

¶ Porrò quantum ad principũ metu  
 endam attinet potentiam: primum  
 omnium non diffitebor regalem il-  
 lam et supremã maiestatem ( modo  
 optatis melioris fortunę fauoniis sęp  
 afflaret) fœlicitati aliquãtulũ accede  
 re, nõ tamẽ ipsam fœlicitatẽ explere.  
 Nã, ô superos, quis non videt tãtam  
 curarum

*Duo ad lo-  
uis limen  
dolii.*

curarum, tantam formidinum mo-  
lem, imperantium pectora grauare,  
vt ab his sæpernumero plus fellis, &  
aloes, quàm mellis, ex altero, quod  
ad limen Iouis est, dolio ebibatur?  
Hos enim videas auro venenū hau-  
rire, illos suorum insidijs perire: hos  
regnis spoliari, illos dies & noctes à  
suis metuere, & multorum hominū  
dominos, multorum quoq; insidijs  
terreri. Perpēde tecum quot recipro-  
cis fortunæ vicissitudinibus, quot à-  
bagibus lubricis, summi quicq; impe-  
ratores fracti, illud, quod querimus  
bonū, ab imperatoria dignitate pro-  
cul abesse cognouerunt? Veniant in  
mentem miserabiles Pompēi & Cæ-  
saris ruinæ, variæ Neronis, Caligulæ  
Galbæ, Vitellii, Otthonis, Macrini,  
Gordiani, Alexandri, Cōmodi, Au-  
relii

*Varie Im-  
peratorum  
cædes.*



PARS SEPTIMA 93

relii milleq; aliorum cædes. Num te  
 mouent ( vt de Iudæis nonnihil at-  
 tingam) Absalonis in patrē David *David.*  
 plus quàm hostilis animus, victi ab  
 obscœnis meretriculis, Solomonis ig *Solomon.*  
 nomina, stultum Roboam consiliū *Roboam.*  
 discordiæ cōfutionisq; Iudaicæ cau-  
 sa, Athaliæ mors inopina, Amasiæ *Athalia.*  
 & Sedechiæ crudelis interitus, quo- *Amasia.*  
 rum alter suorum periit gladio, alter *Sedechias.*  
 regno, filiis, oculis priuatus, in loco  
 fœdissimo suam egit tragœdiam.  
 Quid referam victum Hircano Ari-  
 stobulum, vermibus corrosus He- *Hircanus.*  
 rodē, regno pulsos mortiq; tandem *& Aristobolus fr̄s.*  
 addictos Archelaum, Agrippamq;  
 germanos fratres? Possem infinita de *Archelaus*  
 Persarum, Medorum, Assyriorum, *& Agrippa*  
 Græcorum, potentibusq; Gallorum *fr̄s.*  
 regibus cunulare, sed timeo ne  
 prius



prius Horę tintinnabulum insonet,  
 quim tibi plena securitas, tranquillitasq;  
 parta sit. Ani. Tollendę igitur  
 sunt morę, tibiq; enitędū, vt promissa  
 exequaris. Rat. Faciã. Quiescas.

¶ Heu quis crederet esse beatos  
 Tyrio comptos murice reges,

*Mala que  
 Satrapis ob  
 tingunt.*

Cum sua rumpat corda libido,  
 Cum mala tristes vexet Erinnyis,  
 Cum metus ingens pectora verset,  
 Animosq; grauis cura fatiget?

Regibus auro sæpe venenum  
 Bibitur, sæui dextra clientis  
 Funere multos merfit acerbo.

Aspice torui fata Neronis,  
 Tristia Pompei funera volue.

Diros spectata Cæsaris ictus,  
 Priami duros excute casus,  
 Cunctas regum cerne ruinas,  
 Vicibus variis disce moueri

Regna

PARS OCTAVA 95

Regna, & sortes ferre malignas.

¶ Hæc bene si quis nouerit, ipse

Solos asseret esse beatos,

Quos Deus alta suscipit arce,

Letosq; metu soluit ab omni.

HORAE PARS  
OCTAVA



Ix finem dicendi fecerat  
Ratio, quum multis scrupulis adhuc corrosus Animus, hæc in Rationem retorsit. Pulchrè & verè omnia Ratio. Sed tâta me mouet perturbatio, tam me multa scrupulorum cohors obsedit, vt nullus salutis locus mihi relictus videatur. Rat. Ohe, vnde tâ subitum morbi incrementum? Ani. Non sat erat q̄tuor illis passionibus, quas

Quatuor  
animi p<sup>er</sup> tur-  
bationes.

quas Græci  $\pi\acute{\alpha}\theta\eta$ , nos perturbationes  
dicimus, ægritudine, gaudio, spe, et  
metu animos sollicitari, nisi iã mul-  
ta passos, multis quoq; curarum tur-  
binibus motos, noua turbaret anxie-  
tas. Rat. Quorsum hæc eant non vi-  
deo. Hæccine imbecilli animi condi-  
tio, vt ad id quod implere nequit, vr-  
gentissimis astringatur edictis? Hoc-  
cine infirmioribus appēssum hume-  
ris onus, cui quæuis carnei hominis  
succumbit potētia? Hæc dum tristis  
meditor, quid possum aliud facere, q̄  
odio habere vitā, quàm in me ipsum  
grauius destomachari, quòd ebulliē-  
tibus continua Carnis libidine Sen-  
sibus, nihil præter malū operer, quòd  
in me nihil nō videā imperfectū, ni-  
hil non inconstans, & fluxum, nihil  
non plenum vanitate, & præsum-  
ptione

PARS OCTAVA 97

ptione spiritus? Miserū me, malisq̄  
 natum geniis, qui mihi medullitus  
 hærentes viciorum fibras, tenacissi-  
 masq̄ radices, nequeam extirpare.  
 Nunquid merito possum infirmita-  
 tem meam coram Deo conqueri:  
 sicq̄ cum Iob dicere, Militia est vita  
 hoīs super terrā: Et si peccaui, quid  
 ego possum facere? Et quare oblitus  
 es, nec fecisti iniquitatis meæ obliui-  
 onem, & emédationem peccati mei?  
 Quur si sum impius, frustra laboro?  
 quia si fuero lotus nitro, & mundus,  
 mundis manibus, sātis me sorde tin-  
 xisti. Si peccaui, custodies me: ab  
 iniquitate autem, me nō facies inno-  
 centem. Et si impiè fecero, vā mihi.  
 Et si fuero iustus, non potero respi-  
 rare: plenus enim sum ignominia.  
 Quis enim mūdus à sorde? Nec vnus

Iob. 7.

G quidem



quidem, etiam si diei vnus fuerit vita eius, & numerabiles menses illius.

Quis ergo se castum habere cor gloriabitur? Quis se iustificatū (tametsi nihil sibi sit cōsciū) dicere audebit?

Nullus equidem. Omnia nanq̄ sub peccato conclusit Deus, vt omnium

*Gal. 3.*

miseretur. Omnes corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in adinuen-

*Psal. 11.*

tionibus suis. Omnes declinauerūt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, nō est vsq̄ ad vnum.

*Mich. 7.*

Periit (vt cum Michea loquar) semē de terra, & rectus in hominibus nō est. Omnes in sanguine infidiantur: vnusquisq̄ fratrem suum venatur ad mortem. Qui optimus est corde inter eos, quasi periurus est: et qui rectus, quasi spina de sepe. Hæc quum vera sint, quid assiduis postulas effla-

gitationi



gitationibus me ad bonum deriuari, idq̄ tentare, quod implere nequit humanæ naturæ paupertas, tenuisq̄ animi potentia? Quid iustum, perfectum, immaculatumq̄ Deo me vis exhiberi, quum in iniquitate conceptus, & quasi ab ipsa matris vulua sceleri addictus, nihil nisi quod scelus oleat, facere possim? Putasne tot domesticis impetitū hostibus, tot humanis infectum pestibus, tot stygiis instinctum furiis, posse me religiosū aliquod pensum exequi? Vis virtutē scelus parere, mella venenum stillare, aquas pluere pumicem? Præterea quid me liberum mentiris, cū quod velim non faciā, agam tamen quod sæpius odi? Desine, quæso, his tuis verborum strophis me ludere, ne dum hoc facis, auctior mea fiat egritudo,

G ii. mea q̄

meaꝫ in malum meum recrudescāt  
vulnera. Rat. Deum optimum, quid  
audio, nunquā ne huic tuæ insa-  
niæ finem perscribes, tuisꝫ delira-  
mentis miseram cōcinnare defines?  
Te equidē (nisi isthac posteriore con-  
ualueris medicina) huius erroris se-  
pultum conopęo relinquam, nih ilꝫ  
posthac in tuam admoliar valetudi-  
nem. Plura sunt (vt hic incipiā) quæ  
à te omnem salutis spem auferunt:  
Ea in primis tuæ naturæ fragilitas,  
quæ multa te cogitantem sic depri-  
mit, sicꝫ bonis prōpti spiritus operi-  
bus aduersat, vt videā solas tua in do-  
mo regnare cōcupiscētias, solaꝫ Car-  
nis opera exerceri, & ita exerceri, vt  
qd' vis nō opereris, illudꝫ facias, qd'  
odio nonnunquā prosequaris: Que-  
res facit, vt cum Paulo possis dicere,  
Scimus

PARS OCTAVA 101

Scimus quòd lex spiritalis est, ego au-  
 tem carnalis sum, venūdatus sub pec-  
 cato: quod enim operor, non cogno-  
 sco. Non enim quod volo, illud ope-  
 ror: sed quod odi illud facio. Sin au-  
 tem quod nolo hoc facio, consentio  
 legi quoniam bona est. Nūc autem  
 nequaquam operor illud, sed quod  
 in me habitat peccatum: Scio enim  
 quòd non habitat in me, id est, in  
 mea Carne bonum. Sed quam huius  
 reciproce cōtradictionis causā arbi-  
 traris Anime? Ani. Legē legi meæ  
 repugnantem, & in lege peccati, quæ  
 in membris est, me captiuantem.  
 Rat, σκωπὸν tetigisti. Ani. Quomodo  
 ergo possibile est imbecilles, & capti-  
 uos animos iustificari in via, imma-  
 culatosq; Deo exhiberi? quomodo  
 perfectus erit animus, qui quamdiu

*Reciproca  
 Carnis, &  
 Spiritus cō-  
 tradictio.*

in fœda corporis volutatur cloaca,  
 non potest non sordescere, corpore-  
 isq; non inquinari affectionibus? Ec-  
 quis durum non reputabit præce-  
 ptorē, qui quod fieri nequit, huius-  
 modi imperfectis, impeditisq; impe-  
 rat animis? Qui ἀναμάσκειτον esse vult  
 hominē, qui sine κακία esse non po-  
 test, qui deniq; pura esse iubet, quæ  
 semper impura, pacata velit, quæ cō-  
 tinua perturbationum contagione,  
 & vicio non possunt nō commoue-  
 ri. Rat. Ah, quæ te (malū) tenent in-  
 temperiæ? quid in hoc cœnum re-  
 laberis, à quo nunc lutulentus exie-  
 ras? Scis (vt puto) nullā in Carne sa-  
 nitatem, nullam itidem pacem, sed  
 improbos in ea semper armari Ap-  
 peritus, continuaq; in spiritū moueri  
 certamina. Ani. Quotidiana istud  
 nouimus



nouimus experiētia. Rat. Verum dū  
 sic bellatur, dū vtrinque concurritur,  
 dum manus cōserunt iunctiores in-  
 imici, nunquid habes quo vincere  
 valeas? Ani. Quod iuuet habeo ni-  
 hil, sed quę pugnanti officiant, pluri-  
 ma. Rat. Vbi ergo illa tui spiritus  
 fortitudo, vbi auxiliares tuæ ratio-  
 nis virtutes, vbi semper victrix, & in-  
 uicta inuocati in auxilium, Dei gra-  
 tia? Ani. Spiritus promptus, Caro in-  
 firma, viciis autem semiobruta Ra-  
 tio. Rat. Quis ergo indigam auxi-  
 lii voluntatem adiuuat? Ani. Deus.  
 Rat. Dei ergo auxilio iam tibi erit  
 possibile, quod prius impossibile cen-  
 sebas. Ani. Esto, Sed si solus iuuerit,  
 imò illud quod operari dicor, in me  
 perfecerit, quis id ipsum opus, meū  
 dixerit? Rat. Tuum & non tuum est



*Nō uere no-  
strū est qđ  
recte opera-  
mur.*

qđ recte operaris: tuū enim qđ uelis &  
curras, sed quia neq; uolētis neq; cur-  
rētis, sed Dei est misericōditas, qđ rectē p-  
feceris, tuū omnino dic i nō poteris:  
qđ si te liberum habere arbitriū, obie-  
ceris, tā ne liberā tibi uolūtātē, dare li-  
berū putas arbitriū, ut statim ex eo pfe-  
ctū in fide et charitate opus exequeris,  
nihil tñ eius ope indigeas, qđ uelle in  
nobis et p̄ficere operat̄. Quis unq; aīo  
rū diuino psaltis David aīo factior,  
quis iustior, quis p̄fectior extitit? Hic  
tamē humanę fragilitatis nō nesci-  
us, dū impletos illusionibus sētis re-  
nes, dūq; acres belligerātū in se Ap-  
petituū stimulos experitur, solū adiu-  
torē Deū, solū protectōrē supplex in-  
uocat: quē etiā ut sine eo nihil nos pos-  
se ostēdat, de se suauiter canit, Ego  
īquit, dixi in abūdātia mea, nō moue-  
bor

PARS OCTAVA. 105

bor in eternū. Dnē, ī virtute tua p̄sti-  
 tisti decori meo virtutē. Auertisti fa-  
 ciē tuā à me et factus sū cōturbatus:  
 dixi enī, Pronūciabo cōtra me iniq-  
 tatē meā dnō: & tu remisisti īpietatē  
 cordis mei, Et iterū, Reuela domino  
 viā tuā, et spera in eum, et ipse faciet.  
 Educet q̄si lumē iusticiā tuā, et iudi-  
 ciū tuū q̄si meridiē: Salus enī iustorū  
 à Domino: quoniā non est sanatio  
 in Carne eorū, à facie iræ eius. Quid  
 multis agam? Ille indefessus diuina-  
 rum laudum buccinator, vt omnē  
 de bonis ad meliora mutationem,  
 non ex inualidis humanæ potentia  
 viribus, sed sola Dei dextera, hoc est,  
 diuina supremaq̄ potentia fieri do-  
 ceret, argutissima sepe modulabatur  
 cithara, Nocte cum corde meo me-  
 ditabar, & scopebam spiritum meū,

*Om nis ad  
 meliora mu-  
 tatio, non  
 nostrarū vi-  
 rū sed Dei  
 dextera est  
 & potentia.*

&

& dixi, Nunc cœpi, hæc est mutatio  
 dexteræ excelsi. Quid ergo me tibi  
 putas iniuriū, quòd ex Deo te, tuaq̃  
 omnia pendere asseruerim? qd enim  
 1 Corin 4. habes quod ab eo non acceperis? Si  
 autē accepisti, quid gloriaris, quasi  
 nō acceperis? Nescis nos Dei, et agri-  
 culturam, & ædificationē verissimè  
 1 Corin 3. dici? Et nimirum Paulus plantauit,  
 Apollo rigauit, sed dominus incre-  
 mētum dedit. Ergo neq̃ qui plātat,  
 neq̃ qui rigat, est aliquid, sed qui  
 dat incrementum Deus. Possem in-  
 finita congerere, quibus non in ho-  
 minis opere, & merito, sed in Dei  
 gratia, sitam iusticiam possis dedu-  
 1 Cor. 16. cere. Quare Anime mi, ne molestū  
 tibi sit post Paulum dicere, Gratia  
 Dei sum id quod sum. Hac enī gra-  
 tia salui facti sumus per fidē, & hoc  
 non

PARSOCTAVA 107

non ex nobis: Dei enim donum est,  
 non ex operibus, ne quis gloriatur.  
 Hac Dei nūquam satis laudata gra-  
 tia, adoptati sumus in filios, & cohæ-  
 redes Christi, secundum spem vitæ, et  
 gloriæ æternæ. Ani. Vera hæc omnia,  
 & catholica, sed quum ea sit animi  
 vel impotentia, vel infirmitas, vt per  
 se nihil possit, quis in via iustus, quis  
 perfectus, quis immaculatus dici po-  
 terit? Rat. Consummatam, veramq̃  
 in homine iusticiã ne quæsieris. Est  
 enim nimis facilis humanæ iusticię,  
 in iniusticiam transitus, celebriorq̃  
 q̃ æquum sit, alternatio. Atqui vera  
 consummataq̃ iusticia, solidis virtu-  
 tum Dei firma radicibus, perpetuū  
 subsistit, moueriq̃ nec mutari no-  
 uit, quæ ab æterno immobilis, om-  
 nia sub se mouere non desinit. Per-  
 fectionem

*Esse in ho-  
 minibus ne-  
 quit cōsuma-  
 mata ueraq̃  
 iusticia.*



fectionem verò si ex homine desideraueris, excute primùm quantasit humanarum virium paupertas, quanta fragilitas, quantaue inconstantia: quot animos perturbationes, quot pestes sequantur, & incommoda. Quæ omnia ubi tecum agitaueris, cūctorum in Carne iustorum imperfectam dic perfectionem. Nec est quod mihi ob iicias iustum David, Azam, Heliã, Iosaphat, Ezechiã, Iosiam, quos in viis Dei ambulasse, sacris est p̄ditū literis. Hos enī ( modo humanę modulus iusticiæ non exeamus ) quòd Dei mandatis audientes fuerint, raroq; à decoro, honestoq; declinauerint, iustos & bonos dici posse non inficiabimur. Sed si consummatam illam, veramq; & immotam iusticiam respexeris, quis præter Deum  
iustus

*Iustorū in  
Carne im-  
perfecta est  
perfectio.*



iustus, quis sapiens, quis bonus dici poterit? Nonne, vt alios præteream, electus de prope fœtantes Dauid, qui custodiuit mādāta Dei, & post eum ambulauit in toto corde suo faciens placitum in conspectu eius, audiuit à domino, Non edificabis mihi templū quia vir sanguinis es? Quid dicam de sapientissimo Solomone, qui factus est mortaliū omniū insipientissimus? Alios propè infinitos omitto, quos ad longū cōminisci, magis fortasse laboriosū esset q̄ vtile. Est ergo

μόνος ὁ θεὸς ἅγιος, μόνος δίκαιος, σοφὸς ἢ ἀγαθός, Solus Deus  
 αὐτός ἐστι βασιλεὺς μέγας, κραταῖος ἢ δυνατός natura sã  
 ὑπὲρ πάντας τῶ θεῶ. Hic est vera et sine te. etus, iustus  
 nebris lux, q̄ pallētes aīorū tenebras, sapiens &  
 dū nos inhabitat, dūq̄ claris suæ gra- bonus.  
 tię radiis repcutit, fugat, & lōgius ex-  
 pellit, facitq̄ vt intelligentiæ melio-  
 ris subtilitate reducta, ad bonum  
 liberè

liberè effundamur. Expergiscere ergo, Anime mi, illamq; tuam liberi arbitrii potestaté excitans, soli Deo, in quo hominis est via, cursus tuos cōmitte, ac (vt Solomonem aliquando audias) rectos cursus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige. Ne declines in dexteram, neq; in sinistram, auerte autem pedē tuū à via mala. Vias enim quæ à dextris sunt nouit dominus, peruersæ autem sunt quæ à sinistris sunt, ipse autē rectos faciet cursus tuos, itinera tua producet in pace. Hoc si eo auspice feceris, rectaq; semper ambulaueris, nihil dubiū est quin Deo (quū apparuerit) similiar fias, & adepta immortalitatis gloria, iustus, pfectus, immaculatus, verèq; beatus habearis.

A cunctis

PARS OCTAVA 111

¶ A cunctis geminæ vię videtur,  
 Quarū nō equū culmen vtrūq; iacet,  
 Harum quæ prior est, labore multo,  
 Limina sollicitis mōstrat apta viris:  
 Est dura, atq; aditu quatit timore  
 Multos, sed vertex lētus & ābrofius.  
 At molli via quæ iugo videtur  
 Lēta est, sed captos vltīa meta necat.  
 Ergo si Paphię petat Diones  
 Libera mēs fa cili peruia tempe via,  
 Turpes desidīæ notas habebit,  
 Proq; suis vitīs noxia damna feret:

*Animus;*

¶ Istis tuis dictis refragari nec de  
 beo, nec velim, mea Ratio, sed quoti-  
 es liberi cum Dei auxilio arbitrii ve-  
 nit in mentem, non possum non ad-  
 mirari, cur eodem ex luto terrenaq;  
 massa, ille sapientissimus omniū cō-  
 ditor, hos in honorē, illos verò in cō-  
 tumeliā

tumeliã finxerit. Nam quid hoc est, nisi irretito voluntatis arbitrio, hos ad bonum ineuitabiliter trahi, illos vero obdurari, & ei quod effugere nequeas supplicio deuoueri? Rat. Rẽ arduam aggredieris, & quæ tenues ingenii viriculas excedit: tibi tamen vt potero, morem geram. Te vt credo, nõ latet massam hãc vniuersã, ex qua à subtilissimo rerum omniũ figulo, vasa omnia, partim in honorẽ, partim in contumeliam finguntur, vnus ob noxam in condemnationẽ defluxisse. Ani. Hoc nihil notius. Rat. Verum cum virus istud paternum, quo sui generis vniuersitatem vetus Adam est præuaricatus, totã inficiat massam, quis iniustum reputabit figulum, si ex eadem corruptissima massa, vasorum aliud in contumeliam



meliã, aliud verò in honorẽ effingat?  
 Ani. Sed q̄re sic varia differẽtiãq; va-  
 sa effigiat? Rat. Vt occulta ignotaq;  
 nobis ratione, liberales suas miseri-  
 cordias summãq; ostẽdat iusticiam.  
 Ipse siquidẽ immensus incomprehẽ-  
 sibilisq; Deus volens ostẽdere iram,  
 & notam facere potentiam suã, quæ  
 in interitum apta sunt contumeliæ  
 vasa, in multa sustinet patiẽtia, vt mi-  
 sericordiæ suæ diuitias ostẽdat in va-  
 sa misericordię, quæ præparauit in  
 gloriã. Ani. Aequũ istud esse haud  
 quisquam mihi persuadebit. Rat.  
 Hoc Herclè æquius nihil. Nam quis  
 ignorat, nullum ex illa primi homi-  
 nis massa, cui meritò mors debetur,  
 suo merito posse liberari, sed ad Dei  
 misericordiam pertinere, quòd quis-  
 piã poenis eximatur ppetuis? Quam  
 H ergo



ergo iniquitatem reris apud Deum, quòd hos gratuita saluos velit indulgentia, illos verò iustiore damnatos vindicta? Sed dic precor, nūquid vbi liberatur indignus, maior gratiarū actio debetur, quum verò damnatur, an vel misericordia, vel veritas dāentur? Ani. Neutrū equidē. Rat. Sed tu fortasse, Quur is quem nulla latēt futura, rerum omnium speculator Deus, eos creat animos, quos vitiis adhæfuros, virtutes omnes relicturos, suamq; inuanum accepturos gratiā præsciuit? Quur ex Apostolis duodecī, vnum quem ipse elegit, fatetur diabolum, eidemq; loculos committit, quem furē non ignorabat? Quur Saul regem (quem futurum impiūssimum ab æterno nouerat) in ducem vnxit Israhel? Cur alios propè innumeros

PARSOCTAVA ii

meros, ad sublimes dignitatum cathedras euexit, quos tandem ut iræ & perditionis filios reprobauit? Vis eorum præsentem audire rationem?

Ani. Nihil est quod magis optem.

Rat. Deus præsentia iudicat non futura: Nec condemnat ex præsentia

quem nouerit talem fore qui sibi postea displiceat, sed tantæ bonitatis est

& clementiæ, ut eligat eum quem interim & bonum cernit, & scit malum

futurum, dans ei potestatem conuersionis & pœnitentiæ. Vnde Aposto-

lus, Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum

duriciem tuam, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ & re-

uelationis iusti iudicii Dei, qui reddit unicuique secundum opera eius.

Nec enim reprobus peccauit, quia

H ii Deus

os. viii  
Rom. 2.

Deus hoc futurum nouerat, sed præ-  
 sciuit Deus, quasi Deus, quod ille  
 propria voluntate erat futurus. Ani.  
 Quum isthæc tua dicta ruminò, me  
 amiq; naturam propius intueor, non  
 possum non grauitè commoueri,  
 quòd eò sim ignorantiæ demersus, eòq;  
 miseræ & infœlicitatis redactus, vt  
 nesciam an odio, an amore dignus  
 sim, fatûq; cui deuouear vllò scire pa-  
 cto nequeam. Maledictus homo qui  
 annuntiauit patri meo dicens, Ecce  
 natus est tibi puer: fiat homo ille si-  
 milis vrbibus quas subuertit Deus.  
 Quare in vulua non statim perii, &  
 fuisset mihi sepulchrum mater mea,  
 & vulua eius infernus sempiternus?  
 Quare egressus sum ex vtero, vt vide-  
 rem labores & miseras, et consume-  
 rentur dies mei in ærumnis? Rat. Ne  
 tu

*Hiere. 20*

*Deus*

PARSOCTAVA 117

tu insolēs es Anime, q̄ magnas Dei  
 misericordias nō recolēs; omnē tibi  
 salutis spē repētē desperes. Nescis hu  
 manę salutis sititorē deū nō peccātū  
 mortē, sed vitā potius & conuersionē  
 velle? Pulsate inquit; & aperiet vobis:  
 petite & accipietis. Quid igitur pete  
 re cessas & accipere? Putāsne potius  
 Deū deficere dādo, q̄ tu satieris acci  
 piēdo? Præterea, quid te magis enu  
 trire, vel quid magis sanitate et pacē  
 tibi reconciliare poterit q̄ dominus  
 Deus, si semper eū in pectore habue  
 ris, si bonitatem, si clementiam, si gra  
 tiā, si misericordias, si omnem deniq̄  
 eius dulcedinem gustaueris? Gusta  
 ergo quā suavis et dulcis est domi  
 nus. Hic ille est qui propiciatur ini  
 quitatibus tuis, & sanat omnes infir  
 mitates tuas: qui redemit de interitu

Ps4.112.

H iiii vitā



vitā tuā, q̄ coronat te in misericordia  
 & miserationibus: q̄ replet in bonis  
 desideriiū tuū, renouabit vt Aglæ, iu-  
 uētus tua. Nō secūdū peccata nostra  
 facit nobis, neq̄ secūdū iniquitates no-  
 stras retribuit nobis, sed queadmodū  
 miseret̄ pater filiorū, sic miseret̄ om-  
 nibus timentibus se, quoniā ipse co-  
 gnoscit figmentum nostrum. Quā-  
 obrem, Anime mi, spera in domino,  
 et deuolue illi cogitatum tuum. Ipse  
 enim te enutriet, & custodiet pedem  
 tuum ne impingat. Nec te reprobū  
 existimaueris, quandiu diuinos non  
 reieceris instinctus, quamdiu in via  
 domini ambulaueris, in eoq̄ salutē,  
 spemq̄ omnem reposueris. Sola est  
 (si nescis) malicia quæ reprobatum,  
 sola quæ obduratum reddit Animū,  
 sola est quæ infectas peccati colluui-  
 one

Sua quæq̄;  
 malicia re-  
 probatū fa-  
 cit & ob-  
 duratum.



PARS OCTAVA <sup>112</sup>

one mentes & Dei gratia spoliat, que improborum nomen de vitæ libro expungit, facitq; vt ex Deo exeant qui ex Deo non fuisse, sua comprobantur malicia. Nec causeris quòd hæc vilia, illa verò preciosa vasa efformet figulus. Nam cuius culpa vas vile dixeris? figuli ne an luti? Ani. Luti. Rat. Lutum ergo argue, non figulum. Quis enim tu es qui respòdeas Deo? Nunquid figmentum dicit ei qui se finxit, quid me finxisti sic? An non habet potestatem figulus, ex eadem massa aliud quidem vas in honorem, aliud in còtumeliam facere? Atq; vtinam, Anime mi, inter irę vasa non connumereris, nec retro abeas, aut à Deo exeas, à quo non fuisse tua te conuincat improbitas: sed in Christo renatus, sic eius vtaris gratia

Rom. 9.

vt syncerum Dei vas et templum effici merearis. Quod vt commodè fiat, nunc ad viam redeas, calcatisq; pecuinis voluptatibus, reflorescente intus virtute, summū quod querimus bonū IESVM CHRISTVM ardentissimè diligas, eumq; cū timore, & tremore reuereris.

Quis superi nouit mentem Iouis, abditosq; sensus? (etq; verbis,

Ex hoc quis rerū causas petet, argu-

Fulmina cur forti dextra intonet, enecetq; multos? (fœlix,

Aut cur hos celsis solis locet, eleuetq;

Istos deiiciat, pœnis grauet, ac dolore rumpat?

Hæc archana viris sunt abdita, nec Diis patebunt.

Omnia nanq; videt solus Deus, et futura cernit.

Horæ

## NONA

*Ad hæc paulo quietior Animus.*



Ac tua mellea suada mul-  
 tos à me abegisti scrupu-  
 los, Ratio: præter id tamẽ  
 quod ingeniose diluisti,  
 angit me plurimũ certissima Dei p-  
 uidentia, qua futura omnia quadam  
 inflexa rerum serie euẽtura credi-  
 derim. Hæc enim sapius apud me,  
 Si clarissimo suo intuitu prospicit  
 singula q̄ sunt, quæque futura sunt il-  
 le rerum omnium oculatissimus in-  
 spector Deus, cumq̄ is falli nõ possit,  
 q̄ ab æterno cognoscit omnia, neces-  
 se est vt quæ fiunt, necessariò fieri cõ-  
 cedas: quod si cõcesseris, impeditum  
 seruumq̄ reddes animum, qui præfi-  
 xis diuinæ prouidentiaẽ dispositio-  
 nibus non modo non obsistet, sed et  
 volens

in HORAE

volens nolensq; parebit. Rat. Hanc  
 quæstionem post multos explicuit il  
 le in philosophia, omniq; liberali arte  
 nulli secūds Boëtius. Propterea pau  
 ca tibi suppeditabo, quæ te gustasse  
 sufficiet. Iam primum non ibis infi-  
 cias, Deum simplicissimæ naturæ p-  
 prietate, non temporis quātitate om-  
 nibus antiquiorem, totam hanc in-  
 terminabilis vitæ complexā esse præ-  
 sentiam. Ani. Istud fateor. Rat. Fate

*Qualis sit* ris præterea Deo semper æternum ac  
*Deo status.* præsentarium esse statum, scientiāq;  
 eius in sua manētem præsentia sub-  
 tilitate, omnem temporis supergredi  
 motionem, infinita quoq; præteriti  
 & futuri temporis spatia in se com-  
 plecti, ac omnia quasi geratur in sua  
 illa purissima cognitione considera-  
 re. Ani. Fateor itidem. Rat. Hoc  
 in his, istud non obtem admisso

volens



admisso fit vt iam præscientiam dicere non debeas, sed nunquam deficientis instantiæ scientiam. An.

*Quid proprie sit præscientia.*

Hoc est ipso vero verius. Rat. Dices ergo futura quæ ex hominis libertate emanabunt, hæc Dei cōtineri præsentia. An. Ita. Rat. Sed quum necessario non fiant quæ diuino lumine collustrantur, quumq; diuina prouidentia neq; certas rerum naturas proprietatésue immutet, neq; qualitates perturbet, consequens est, vt que fieri vides, si diuinæ scientiæ cōditio, illaq; omnia cernens, respiciatur præsentia, de rerum necessitate descēdāt, fiant tamen de liberè facientium potestate. Quo fit vt futura necessaria asseueres, si diuinam perpenderit notitiam: si verò hæc seorsum & per se consideraueris, absoluta planè et libera repe



ra reperias. Sed de his hæc prælibas-  
 se sufficiat. Si plura requiras, sume  
 in manibus Tulliū, Boëtiū, et alios a-  
 liquot huius rei peritiores, qui spissa  
 mentis tuę nubila decutere poterūt.  
 Quid igitur nunc obstat, quo minus  
 ad viam redeas, proculq; effugatis, &  
 tenebris, & vitiis, tuam fidam coniu-  
 gem reuoces, nunquam ab ea latum  
 digitū discessurus. Ani. Sanasti me  
 totum Ratio. Nihil est quo magis  
 excrucier, quievere illi inhumani mē-  
 tis carnifices Appetitus. Ecce reducē  
 agnosco trāquillitatē, ipsamq; pacatę  
 cōscientiæ securitatē. Rat. Fac bono  
 sis animo. Spero equidē summa Dei  
 prouidentia, hæc tibi fœliciozem Ho-  
 ram fore. Spera ergo, dumq; spiri-  
 tum colligo, obserua quid fiet.

Prouidentia, sequentia canit,

dicor

Dicor æterni Ratio tonantis  
 Semper excelso residens Olympo,  
 Orbis appensam rego sola molem,  
 Astraq; voluo.

Aureos duco radiantis orbis  
 Solis, & claræ radios Dianæ,  
 Debito rerum pario latenteis  
 Ordine causas.

Est mihi quod res variis reformat  
 Motibus fatum: mihi paret æuum,  
 Seruiunt crines roseis reuinctæ  
 Floribus horæ.

Nil mouent mentem variū recursus,  
 Et vices rerum subitiq; motus.  
 In statu semper stabili quiescens  
 Omnia voluo.

Quis sacræ posset rationis omneis  
 Scire virtutes, propriaq; mente  
 Abditos diuū penetrare sensus,  
 Altaq; nosse  
 Ergo

Ergo fœdatis Animus cauernis  
 Clausus, haud sensum superũ reuol-  
 Sed suo sese pede metiatur (uat,  
 Seq; requirat.

HORAE PARS  
 DECIMA

*Ratio. Animus. Prouidẽtia. Fatum. Hora.*

*Ratio.*



Il boni quid audio? Audi  
 stin Anime? Ani. Vidi et  
 audiui. Deum immorta-  
 le quis fulgor? Rat. Emo-  
 riar nisi diuina sit Prouidẽtia. Ani.  
 Saluus sum. Rat. Vt splẽdet? Ani. Vt  
 pulchrẽ incedit. Rat. Vt cuncta facie  
 sua serenat? Ani. Vt omnia suauiter  
 disponit? Rat. Nõ sum apud me præ-  
 læutia. Ani. Nullus sum præ nimio  
 sensuum

P A R S D E C I M A 127

sensuum gaudio. Sed hem diuinos  
 odores? Rat. Hem nectar & ambro-  
 sia? Ani. Dii boni, quid si mihi pacē,  
 & cōscientiæ securitatem reduxerit?  
 Rat. Ibo atq; Deam audacter allo-  
 quar. Salue præclarissima incompre-  
 hensibilisq; rerum omnium Proui-  
 dentia. Prouid. Salue humana Ra-  
 tio, tuq; diuinæ conformis imagini  
 Anime: quis nunc inter vos ser-  
 mo? Rat. Percunctabatur Animus,  
 quid esses, quid faceres, quid posses:  
 Ego quoq; dubio animo satisfacere  
 conabar. Prouid. O rem stultam:  
 quasi possint humana ratione diui-  
 na comprehendi. Non te, Anime, *Non potest*  
 pudet in his scrutādis diuinæ intel- *diuina ratio*  
 ligentiæ archanis toties excruciarī? *humana cō*  
 Nescis incomprehensibilem scien- *prehendi.*  
 tiæ, & sapientiæ Dei altitudinem, vi-  
 asq;



cesq; eius inuestigabiles? Quis enim cognouit sensum domini, aut quis consiliarius eius fuit? Sed hoc vnũ audi quod etiam inuitus fateberis, Cũ sæpe tot sint in te dissona sensuũ & rationis iudicia, quæ ex his rectiora, verioraq; putas? Ani. Rõnis iudicia. His enĩ alta, & vera: illis solũ palpabilia, tangibiliaq; vel perperam iudicantur. Proui. Quid ergo sensuum iudicium ad id quod rationis est? Ani. Sicut Phœbes lumen ad præclarum solis iubar, eminentesq; radios. Prouid. Eo modo se habere dicas debiles humanæ rationis notions, ad eam diuinam intelligẽtiam quæ nunq; fallitur, sed omnẽ supergressa vniuersitatis ambitum, puræ acie, puroq; oculo cuncta ab æterno prospicit. Tu vero Anime mi qui propter

*Quomodo  
se habeat  
humana no-  
tio ad diui-  
nam.*



ritatem, quibus me in terrenū quendam Deum facile euasurum crediderim. Iube ergo domina mi, temporum horarumq; magistra, horam venie p̄ osperam, quæ has verę quietis Decas ad me sit deductura. Prou. Heus Fatū? Fatū? Fat. Quis me vocat? Hera est, aduo'o. Quid me vis, hera? iube qđ vis, en iussa exequor. Pro. Scis ne o Fatū rebus oībus motus, loca, & tēpora, certissimo ordine pmēs, quid huic animo ab æterno deuouerit? Fat. Scio equidē. Prouid. Horam ergo quam omnium nosti serenissimam huic deprome. Fat. Egredere optata multis diebus Hora, egredere, inquam lassī animi requies, laborum finis, omnisq; inconcussi gaudii principium: veni precor horarum suauissima, nectareaq; vocis

PARS DECIMA 131  
cis tuæ symphonia læguentē amo-  
re animum recrea.

*Hora uox & sonitus*

En ego diuinis prægnans concen-  
tibus Hora

Insono, & optatos ore refundo  
sonos.

Dulcia seclusis denūcio gaudia curis,  
Atq; graues hilaro corde repello  
metus.

Diua serena vocor, tranquille nūcia  
pacis

Quacū dulcis amor gaudet, et alma  
quies.

Me Charites blādæ, risusq; iociq; ve-  
nusti,

Cumq; suis salibus concomitatur  
amor: (virenti

Tēpora sunt violis sunt lauro cōpta,

I ii Lacte



Lacteolique tument flore, rosisque,  
 sinus: (ris amnes  
 Ambrosiam & largos distillo nectar  
 Candiduloque fluit gratus ab ore  
 lepos. (hore,  
 Ergo procul tristes discedite temporis  
 Tota ego melleola, tota ego lacte-  
 ola. (tusque,  
 Ite graues cure, fletusque furorque me-  
 Et phlegetonæ vos procul ite ca-  
 nes. (lea, paxque  
 Pax dulcis, pax blanda veni, pax mel-  
 Ambrosia en venias, pax mihi  
 grata veni. (benignos,  
 Pacis amica quies, vultus exprome  
 Ipsa veni, en venias pacis amica  
 quies. (centibus Hora  
 Dulcibus ecce vides pregnans con-  
 Insono, & argutos ore refundo so-  
 nos.  
 Audi

## VNDECIMA

Ratio.



Vdistin melos pegaseum?  
 Ani. Audiui, mea Ratio,  
 ita hac horarum mellitif-  
 sima ravior, vt nunc qui  
 sim, vbi sim, quid agā me fugiat peni-  
 tus. Ra. Viden vt tibi leta omnia, vt  
 tibi amica tranquillitas, vt libera ti-  
 bi præparetur securitas? Ani. Deum  
 bonū. Rat. Qualem te modo existi-  
 mauers? Ani. Deum: nisi hanc à me  
 diuinitatem aliqua abstrahat impro-  
 bitas. Prouid. Heus Anime. Ani. Ec-  
 ce adsum domina. Prouid. Vidēsne  
 quod bonos sequatur præmiū, quod  
 ve malos enecet suppliciū? Ani. Vi-  
 deo clarissimè. Prouid. Nosti equissi-  
 ma Rationis imperia, iniquos sensuū

I iii Appeti

Appetitus, reprobâq; carnis lasciuia!  
 Ani. Noui. Prouid. Te totis igitur  
 viribus oportet moliri, vt rationi p  
 petuò obedias, sensus refrenes, Carnē  
 retundas, soloq; viuas spiritu. Ani.  
 Factum istud curabo. Prouid. Habe  
 interim hanc tibi oportunam Horā  
 fertis & floribus redimitam, Gratiis  
 salibusq; omnibus comitatam. Hęc  
 tibi quam tantopere ardes pacem,  
 ipsâq; innocentis conscientię securi-  
 tatē præstabit. Ani. O foelicē Horā.  
 Prouid. Hanc ne mireris reginam.  
 Huic namq; horarum reginæ perfi-  
 milis est Christianissimi Frācorum  
 regis Francisci coniunx Leonora.  
 Hęc enī ipsissima est Hora quę post  
 longos intestinarum discordiarū tu-  
 multus, Gallis concordiam quietēq;  
 reduxit. Ani. O factum bene. Proui.  
 Bellum

Laus Leo-  
 nore Gallie  
 arum Re-  
 gine.

PARS VNDECIMA 135

Bellum sustulit, dubios & languen-  
 teis animos sanitati, securitatiq; re-  
 stituit. Pro mœrore gaudium, pro  
 labore requiem hora nobis vna pe-  
 perit. Ani. O summam diuinę pro-  
 uidentiaę altitudinē. Prouid. Viden  
 ergo quid vna possit Hora ille huma-  
 narum mentium scrutator & medi-  
 cus Deus? Ani. Video. Prouid. Letā-  
 re ergo in Christo, vitiorūq; hostis,  
 virtutes amplectere, Deum time: teq;  
 ita compone vt tandem summum  
 assequaris bonū in quo plenissimam  
 perpetuamq; pacem, & quietem re-  
 perire valeas. Ani. Istud à nobis cu-  
 rabitur. Rat. Hoc dum facis, ne for-  
 tasse Deo ingratus habearis, grates  
 pro gratia persoluito: ego interim  
 his mortalibus Fatum relinquens,  
 in cœlum reuolo.



# HORAE PARS DV- ODECIMA

*Animus grates Deo persoluit,*



Hriste, graues Animi sem-  
per miserate labores,  
Fortia qui mortis rupisti  
tela, tuóq;

Criminibus spurcas lauisti sangui-  
ne mentes,

Tot saeva euasi duce te certamina,  
vafros

(nas:

Cōstāti toties superaui mēte Satha-  
Te duce discinctos Sensus, Carnēq;  
rebellem.

In firma altiloquæ Rationis vincla  
redegi.

Iam tandem dulces venientis pren-  
dimus oras

Pacis, cōpositæ nunc cernimus ora  
quietis,

Iam

PARS DVODECIMA 137

Iam claræ placido rapimur virtutis  
amore,

Attrahimurq; tuis, diuorum maxi-  
me, iussis.

Quis tibi condignas poterit persol-  
uere grates

Pro meritis? Sed tu figmenta caduca  
memento (ne

Naturę fragilis, deuotaq; pectora cer

Mortalis famuli, prono qui corde  
precatur,

Vt quum læguenteis mors improba  
soluerit artus,

Fœlicem misero præstes sibi mitior  
horam:

Des quoq; vt inuictis prostrato viri-  
bus hoste,

Aethereos tecum teneat securior  
orbes.

hæc

138 PARS DVODECIMA

☉ Hæc ut ardentiore mentis affe-  
 ctu cecinit Animus, gratissimam  
 sibi Horam comiter excipiēs, Rati-  
 onem lætus amplexatur: et quia dies  
 multos clanguerat irrequietus, sua-  
 denti conscientiaē securitate, suaq̃  
 (quam intrinsecus fouebat) pace,  
 vnà cū Ratione, suauiter obdormi-  
 uit.

τέλθ' οἱ ὤραε.

Ad Illustrissimum generosissimumq; adolescentem,  
Franciscum à Lotaringia, Pontismonsionis Mar  
chionē, Petri à Castello de Hora  
Ioannis Nouillei,

Scis quid præstiterit tibi istud Hora  
Olim tu patriæ future Princeps,  
Quo Ponsmonsio Marchione gaudet?  
Quando forte feras per alta cursu  
Pernici iuga concitus sequeris,  
Et γωμωρ decreit tibi, docebit  
Te isthæc Hora quam agas remotus horam:

Eiusdem

Ad Illustrissimum generosissimumq; Principem Franci-  
scum à Lotaringia Daumalli Comitē, nobilissimi, inui-  
ctissimiq; Ducis Guystæ Claudii à Lotaringia primo-  
genitiū, eiusq; fratres, indolis optime Principes  
Octostichon,

Prima sui uobis frumenta Nouilleus agri  
Dat, qui plura daret, si utiliora forent.  
Ut pueri faciles lusus, ut dira ferarum  
Perquirunt iuuenes lustra, senes requiem,  
Sic uestris Horam dat lusibus, inde daturus  
Ad requiem Noctes ad fera lustra Dies.  
Interea dum plura parat, maioraq; , Christum  
Ibibite : hunc etenim perbreuis Hora docet.



Ad Reuerendissimum in Christo patrem, Dominũ  
Renatũ de Maria, uirũ nõ minus nobili sanguine,  
q̃ moribus integris et uirtute spectabile,

Ioan. Nouillei

ἔξ ἁσίσχορ,

Quod breuis hec breuibus mea cõstet partibus ὄσρα,  
Suada paupertas ingenijq; facit.

Forte ubi nostra sacer purgata impleuerit ora  
Christus, plura tibi longior hora dabit.

Nec iam solum una, Mariane, teneberis Hora,  
Nam te nostra olim Noxq; Diesq; manet.

Idem

Ad subtilissimum sacrae Theologiae profesoem D.  
Claudiũ Viuenedi, Illustrissimi, serenissimiq;

Principis Francisci Valesii Dalphini

ὠτακουσῶν,

Rettulerant Charites summo tua dona Tonanti,  
Rettulit una fidem, dulcemq; secunda Suadam,  
Tertia compositos mores: tunc Iuppiter infit,  
Quod leti hinc mores, quod pulchro in corpore  
uirtus,

Pulchrior, et salibus facundia mixta uenustis,  
Vitalætus erit qui Viueneus habetur,

Sic sua conueniant læta cognomina uitæ.

Dixerat. Hoc muse, hoc pulcher collaudat Apollo,

Exiliunt risu χάσῖτες, fit lætus Olympus,

Plauditur, atq; una certatim luditur Hora.

Lætitiæ interea dulcem reminiscimur horam,

Gratamurq; tuæ, doctor celeberrime, sorti,

Nec minus hac tota gaudentes ludimus Hora.

Ad D. Langanium Hocedium, uirum undequaque  
 doctissimū, primūq; Reuerendissimi in  
 Christo patris, Do. Cardinalis  
 Lotaringij Secretariū  
 Hexastichon.

Hec' licet indignis temeraria uocibus ora,  
 Soluerit, atq; rudes fuderit Hora modos,  
 Hanc tamen Hocedi, clara uirtutis amator,  
 Defende, & placido sume foueque sinu:  
 Scilicet in te omnis sua spesq; salusq; recumbit  
 Ipsaq; iudicio statq; caditq; tuo.

Fa Li Le

¶ Errata.

ac. nea. ge.

2 2 Plus etenim facti ualet Hora benigni  
 Quam si nos &c. Idq; habet nō ex Horat.  
 sed ex Iuuenale in Satyra 16.

28 6 morionum.

41 12 Virtutisq; colat decus. Si non placet car.

50 2 nassam. (men Iambicum interponi.

96 7 Ante Hecate, supple personam Anim.

119 1 tolle &c.

128 1 asq;

Cætera, si quæ sint, prudens & faalis lector  
 excusabit.

11. Die ...  
12. Die ...  
13. Die ...

14. Die ...  
15. Die ...  
16. Die ...

17. Die ...  
18. Die ...  
19. Die ...

20. Die ...  
21. Die ...  
22. Die ...

23. Die ...  
24. Die ...  
25. Die ...

26. Die ...  
27. Die ...  
28. Die ...

29. Die ...  
30. Die ...  
31. Die ...


32. Die ...  
33. Die ...  
34. Die ...

35. Die ...  
36. Die ...  
37. Die ...









OCN

236238050

